

Ann. III.

Num. XV.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italianam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 1/2.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN ITALIA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES
LONDON W. — 28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENT.

Apud
COMMISSARIAT OF THE HOLY LAND.

IN CANADA ET NEWFOUNDLAND

NEW YORK, 143 w 95th St.

NEW YORK (U. S. Americ.), 143 w 95th St.

IN BELGICA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.

LUGDUMI

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
Rue Victor Hugo, 5

IN GALLIA

LUTETIAE PARISIORUM
LIBRAIRIE VIC ET AMAT
CHARLES AMAT SUCC.

Rue Cassette, II.

IN HUNGARIA

Apud
C. B. LIPTAY, CORRESP. DE HONGRIE
BUDAPEST, Palais du Théâtre National.

RERUM INDEX

FUTURA MILITIAE DOMINATIO...	Senior.
DE GRAMMATICORUM AC RHETORUM OFFICIS APUD ROMANOS	I. Iachino.
DE HENRICI SIENKIEWICZ LIBRO "QUO VADIS?", INSCRIPTO	I. Antonelli
IN IOANNEM BAPTISTAM N*** TECTO NOMINE RYFVM EPHEBEI CVIVSDAM OLIM ALVMNVM	LEO PP. XIII.
MANICOMIA APUD MAIORES	P. Alexis.
TUSCANIENSIS AEDES S. MARIAE MAIORIS	A. C.
EX GALLIA — De omnium rerum Expositione Parisiensi	A. Vieillot.
SINENSES PORTUS	A. Costaggini.
ANGELUS (Rossorum fabella popularis)	N. Festa.
COMMUNIA VITAE — De papilionibus ac de messe	H. D. V. Pieralice.
ANNALES	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
AENIGMATA	Digamma.

In tercia operculi pagina:

PER ORBEM	Viator.
VARIA: Quid si celeriora hodiernis electricide itinera? — Ioci	P. d. V.
SOCIS MONITUM	A secretis.

ROMAE
EX OFFICINA FORZANI ET SOCII
M DCCCC

COMMENTARII "VOX URBIS,, INDICES SINGULI

VI num. ann. III.

De foedere inter Anglicas Australiae colonias - ROMANUS.
De linguae latinae natura ac proprietate - P. RASI.
Grammatici et rhetores apud Romanos - I. IACHINO.
In mortem Caesaris Cantù - ALOISIA ANZOLETTI.
Liquidus e fluido factus aer - M. LANI.
Bonarrotii tabula « Parcas » referens - LAELIUS.
Ex Americis - De pile ludu « base-ball » nuncupato - H. DOSWALD.
De sacris stationibus - F. C.
Communia vitae - De supellectili mensarum - H. D. V. PIERALICE.
Vita functi viri clariores - I. F.
Horae subsecivae - Idibus Martii an. a. C. n. XLIV - A. BASILI.
Quaesitis responsio - De recta latina verba enuntiandi ratione - F. RAMORINO.
Annales - POPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - FORFEX.
Aenigmata - A. E. DE DRUFFEL.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Stomachi photographia* - P. d. V.
Epistolarum commercium - A SECRETIS.

VII num. ann. III.

Christianae antiquitatis doctorum Urbanus conventus - *Vox Urbis*.
De linguae latinae natura ac proprietate - P. RASI.
Ex Gallia - Ludovici Noni carcer ad Mansourah - MONTELUCCIUS.
Carmen natalicium - A. BARTOLI.
De perpetuo in Scandinavis regionibus die - A. VIEILLOT.
Puerorum lusus verno tempore Pompeii - LAELIUS.
De rhidis electride actis - ROLANDUS.
Quid inter pisces et kal. Aprilis? - P. ALEXIS.
Lollius sive de proiecta latinitate - II. - P. ANGELINI.
Idiotarum institutio - R. SPINA.
Communia vitae - De priscis et hodiernis edulis - H. D. V. PIERALICE.
Quaesitis responsio - De latini eloquii pronuntiatione - D. MACRAE - I. TASSET.
Annales - POPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Aenigmata - FR. X. REUSS.

In tertia operculi pagina

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Melleae fodinae* - P. d. V. — Ioci - I. SOLA.
Epistolarum commercium - A SECRETIS.

VIII num. ann. III.

Christianae antiquitatis doctorum urbanus conventus (xv-vii kal. Maias M DCCCC) - G. P.
De iuvenco poeta christiano - I. LEMETTE.
Nuperime circa « stelam » in Romano Foro effossa - ROMANUS.
Vita functi viri clariores - I. F.
Iohannes Baptista de Rossi - A. COSTAGGINI.
Fossanova abbatia - H. D. V. PIERALICE.
De Horatii Marucchi opere cui titulus « Éléments d'archéologie chrétienne » - F. RAMORINO.
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.
« Dominica palmarum » - F. C.
Christo Redemptori regi saeculorum triumphanti - FR. X. REUSS.
De torpedinariis navibus luce actis - HERCILUS.
Annales - POPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Sociis monitum - *Vox Urbis*.
Aenigmata - DIGAMMA.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Nenulla de Anglis* - P. d. V.

IX num. ann. III.

Christianae antiquitatis cultoribus Romae congregatis salutatio - L. M. Card. PAROCCHI.
Kalendas Maiis - De proletariis - I. TONIOLO.
De manuini labore inter gentes tuendo - P. ROSSANI.
Ex Germania - De Borussa Scientiae Academia - P. ALT.
De linguae latinae natura ac proprietate - P. RASI.
Socii peculiari dono ornatus - *Vox Urbis*.
Veterum navigia - A. COSTAGGINI.

Alexandri Manzonii carmen inscriptum *Il Cinque Maggio* - M. RICCI.
Textura electrica ac teletroscopium - M. LANI.
Auditus et musicæ - R. SPINA.
Polypi immanes - ALPHA.
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.
Communia vitae - Venatores et venatoria - H. D. V. PIERALICE.
Christianæ antiquitatis doctorum Urbanus habitus conventus - A. L.
Perillustri viro equiti Nicolao Galdo condolecentis animi sensus ob amatissimi filii excessum - I. BROIA.
Quaesitis responsio - De latini eloquii pronuntiatione - MICROVIR.
Annales - POPLICOLA.
Librorum recensio - P. A.
Aenigmata - P. GARRONE.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Quid inter Napoleonem I et literam M. - Europaearum in ore usus linguarum - Psittaci pre-cantes* - P. d. V.
Epistolarum commercium - A SECRETIS.

X num. ann. III.

De popularibus itemque agrariis athenaeis - P. G.
De linguae latinae natura ac proprietate - P. RASI.
De stilo artis christianae - Cultoribus christianarum antiquitatum convivium habentibus - B. MAGNI.
Notitiae litterarum et artum - Ad Tarentum inventa - T. PACI.
Ad Mariam mense Maio volente pacis vota - I. SOLA.
Rolandi fabula - I. ANTONELLI.
De praecipuis basilicis Urbis - ALPHA.
Flora - H. P.
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.
Risus et hilaritas - R. SPINA.
Communia vitae - De indumentis virorum - P. ALEXIS.
Quaesitis responsio - De unica eademque recta apud omnes pronuntiatione latina - H. D. V. PIERALICE.
Annales - POPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Aenigmata - A. E. DE DRUFFEL.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Peracti saeculi utilitas, et gloria senescenibus - Novae virtutis arbitrus - Solaris lux in servitatem redacta est! - Ovum princeps - Singulare et mirabile* - P. d. V.

XI num. ann. III.

De popularibus legislatorum comitis - P. ROSSANI.
De linguae latinae natura ac proprietate - P. RASI.
De stela in Romano Foro effossa novae animadversiones - ROMANUS.
In hodiernum « progressum » - FR. XAV. REUSS.
De quadam transalpiana poetria - T. PACI.
Ex Americis - *Philoctetes* Sophoclea tragœdia in scenis acta - I. B.
Tuscaniensis S. Petri aedes - A. COSTAGGINI.
De quorundam moroso musicorum ingenio - HERCILUS.
Vita functi viri clariores - P. A.
De labyrinthis - A. VIEILLOT.
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.
Communia vitae - De indumentis virorum - P. ALEXIS.
Quaesitis responsio - De latini eloquii pronuntiatione - H. DOSWALD.
Annales - POPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Aenigmata - TIRUNCULUS.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Singulare expurgiculum - Melodion - Ioci - P. d. V.*
Epistolarum commercium - A SECRETIS.

XII num. ann. III.

Operiorum familiae - P. ROSSANI.
De certamine poetico Hoeufftiano - A. BARTOLI.
De saltus Polonorum origine qui dicitur « mazur » - I. WABNER.
Ex Gallia - De nova gallica linguae ortografia - MONTELUCCIUS.

« Tubercolosis » arcendae ratio - R. SPINA.
Dantis Aligherii visus centenaria commemoratio - H. SALVADORI.
Ex Dante Aligherio - *Inferi* - Carmen primum - I. BONAVENIA S. I.
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.
De secretis Sinensium sectis - A. COSTAGGINI.
Communia vitae - Venatores et venatoria - H. D. V. PIERALICE.
Peculiare donum socio datum - *Vox Urbis*.
Annales - POPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - P. A.
Aenigmata - I. CASTELLI.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Finis orbis terrarum ingruitne an multis abhinc annis incepit? - Electrofraenum - Ioci P. d. V.*

XIII num. ann. III.

Quae xx saeculo facienda xix saeculum scholis tradi-diderit - SENIOR.
Sinenses pugiles - A. COSTAGGINI.
Thomas Ketteler - P. ALT.
Rolandus adolescens - I. ANTONELLI.
Ad solem, Quingentesimo recurrente anno ab aca-demia Cracoviensi instituta carmen saeculare - I. WABNER.
« Seroterapia » apud veteres - G. P.
Bonarrotii absis Florentiae - ALPHA.
Romuli sepulcrum et Volcanal - ROMANUS.
Gherardi « delle notti » tabula coenam referens - X.
De auxilio naufragis ferendo - R. SPINA.
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.
Quomodo Berlioz musicis se dederit qui medicus prope est factus - LAELIUS.
De modo et ratione educandi tauros ad cursum penes Hispanos - HERCILUS.
Quaesitis responsio - De una eademque recta apud omnes pronuntiatione latina - H. D. V. PIERALICE.
Quaestiones inter socios propositae - De Henrici Sienkiewicz commenticia fabula quae inscribitur:
Quo vides? - *Vox Urbis*.
Annales - POPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - I. F.
Aenigmata - F. PALATA.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Sinensis orbis circumwallatio - Ambulatoriae aedes Iustitiae - Temporis per hebdomadas distri-butio - Ioci - P. d. V.*

XIV num. ann. III.

Indictio litterarum certamini additi dies - *Vox Urbis*.
De Europæ gentibus foedere iungendis - P. ROSSANI.
De capillorum et barbae usu apud Romanos - A. BARTOLI.
Ex Gallia - De omnium rerum Expositionibus deque hodierna Parisiensi - A. VIEILLOT.
De Sinae et Iaponie incolis - T. PACI.
De saltus Polonorum origine qui dicitur « Mazur » - I. WABNER.
Carmen puerale - Melodia popularis Polonorum sive « Mazur » - S. NOSKOWSKI.
« Zingari » qui dicuntur - HERCILUS.
Salvatoris Rosae tabula Catilinae coniurationem re-ferens - LAELIUS.
Iohannes Gutenberg - A. COSTAGGINI.
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.
Sapientia inventa - M. LANI.
Horae subsecivae - Ignes arte facti in monte Pincio - B. NELLI.
Ferdinando com. Capponio Pisaniorum archie-piscopo ob eius recuper. e gravi morbo valetu-dinem an. MCM - I. BATTANIUS.
Communia vitae - Propriae quibusdam quadrupre-dibus voces - H. D. V. PIERALICE.
Annales - POPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - I. F.
Aenigmata - DIGAMMA.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Manufacti lapides - Quam diu liceat carere somno volentibus - Ioci - P. d. V.*

FUTU

C CONSID
pem
quasi prae
ea, quae
causas inq
Liber hom
gravi, tam
timeo non
circumspici
Placuit
humanam
petuo, que
Biblica ver
terram »,
Deus ».

At hos
dem libro
ritatis adse
Psalmistæ:
Quo pacto
cides, non
quotidianum
necarentur,
Hinc po
quibus in v
mirum; qui
omnes hom
autem omni
praeter pro
Quo fit, ut
belluarum fu
autem regis
aut subiici
possint.

Et prof
quidem nob
fortasse pei
qui a Deo
hunc p
ducere, qua
caput tres a
sint, ultro p
Homini
cum bestiis
Depulsis hi
novalia nor
legebat, pri
interdui. R
multos ubi

Sed iuv
ducere, qua
caput tres a
sint, ultro p
Homini
cum bestiis
Depulsis hi
novalia nor
legebat, pri
interdui. R
multos ubi

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIIUM SUBNOTATIONIS: In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam: Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.	BIS IN MENSE PRODIT	POSSESSOR ET ADMINISTRATOR: ARISTIDES LEONORI, eques. ROMAE — Via Alessandrina, 87.
--	---------------------	---

FUTURA MILITIAE DOMINATIO

CONSIDERANTI mihi quid sit quod omnes proponendum gentes nunc arma fremant, et, quasi praeliorum febre phreneticae, in paranda ea, quae ad bella sunt, maxime incumbant, causas inquirere placuit, et ventura scrutari. Liber homo libere dicam quae sentio in re tam gravi, tamque periculosa, et quae video, quae timeo non abscondam; at dum humana respicio, circumspicienti sit fas et divina intueri.

Placuit philosopho (hic Hobbes) societatem humanam adstruere ex praelio quotidiano, perpetuo, quem qui sequuntur, sibi vindicant illa Biblica verba: « Militia est vita hominis super terram », et insuper: « Dominus exercituum Deus ».

At hosce et illum refellunt sexcentae ex eodem libro sententiae, quae Deum pacis et caritatis adsertorem constituant, et ipsa oratio Psalmistae: « dissipata gentes, quae bella volunt ». Quo pacto autem qui iussit legem: « non occides, non furtum facies », bellum constituisset quotidianum atque perpetuum, quo homines necarentur, aliena usurparentur?

*

Hinc pono ad ethnica nos rediisse tempora, quibus in vi, in gladio ius, non in iustitia. Nec mirum; quippe reiecta sapientia, quae monet omnes homines inter se fratres esse, Patrem autem omnium Deum, nihil superest curandum praeter proverbium: « homo homini lupus ». Quo fit, ut civitates singulæ tamquam societas belluarum furentium considerentur; sapientissimi autem regis et imperatoris esse tot exterminare aut subiicere quot potest, reliquas terrere, ne possint.

Et profecto hoc in tempore vivimus, malo quidem nobis; sed qui nascuntur atque nascentur fortasse peiora videbunt, nisi Deus, aut aliquis, qui a Deo sit, et peiora et pessima avertat.

*

Sed iuvat ea noscere, et in compendium reducere, quae homines, quorum ad sanandum caput tres Anticyrae, ut ait Horatius, pares non sint, ultro proponunt.

Homini, dicunt, ab ipso exordio fuit pugna cum bestiis, ne satis, ne natis eius potirentur. Depulsis hisce, mox pugna cum proximo, qui in novalia non sua falcam immittebat, poma aliena legebat, prius clanculum noctu, mox audacior interdiu. Res ab uno et duobus migravit ad multos ubi civitas, ubi civitates fuere, inde ad

gentes et populos. Iussae sunt leges, quae privatos a privatis, gentes et populos a populis et gentibus tuerentur. Sed quid leges inermes? Vox, vox, praetereaque nihil. Necesse fuit ad arma confugere, et ad minuendum horrorem sceleris dixere prisci: « Maiestatem imperatoriam non solum armis decoratam, sed et armatam esse legibus oportere ». Infelix error sermonis!; nam legibus decorabatur ad pompam, armis autem horrebat ad terrendum ac rapiendum.

Crescentibus nunc gentibus numero, impare terra ad nutriendum patria, necesse est in aliena incurrire, trucidare, rapere, occupare. Historiae causa dico, et liceat philosopho interrumpere. Qui commentaria Caesaris de bello Gallico legerint, qui monumenta recursaverint de incursionibus Barbarorum narrantia, eadem profecto invenient viguisse apud eos, a quibus Romanum imperium, lumen totius orbis terrarum, extinctum est, litterarum et artium genus omne subversum, et Hunnorum, Vindelicorum, Ostrogothorum nomen abominationi et vituperio aeterno consecratum!... Hercle! non frustra pro sapientibus huiusmodi mille et quingenti fluxerunt anni! At ad eorum placita redeamus.

Populi post praelium ex pluribus conflantur in unum, et admixtione negotiorum et coniugiis nova oritur gens, cui ex malis, quae experta est bello, magnum pacis desiderium... Dic, sapiens, queso: Quid, si novam hanc gentem gens alia bello tentaverit, pugnando oppresserit? Iterumne conflabitur populus ex duabus unus, et admixtione illa novum orieturne pacis desiderium?... — Ita sane. — Et si tertia gens eadēm patraverit?... Bellum erit igitur sempiternum, et flagellum immane populos atteret miseriis prope modum infinitis, nisi ad iustitiam revertantur homines eam, quae: « non occides! » iubet, « non furtum facies! »

*

Atqui, inquit sophus, bellum interdum necessarium est in hostem invadentem nostra, vel quae nostra sunt possidentem, ut eripiamus. Ergo necesse est in armis quotidie omnes esse ut tueamur, necesse est idem ut vindicemus, necesse idem, denique, ut terreamus meditantem rapinas.

Fateor hic me sophum admirari quasi medicum, qui aegrotum occidit, ne diu crucietur morbo, potiusquam curet ut ab eo morbum depelet. Relege iter, o sapiens, et ab hisce malis deduc potius curandam esse societatem humanam religione non ferro, caritate Christi non artibus illius, qui homicida fuit usque ab initio. Grando aerem aestivum mitigat; at quot ruinis,

et quidem imparibus damno!; terraemotus solum subvertens foecundat, at quibus excidiis!... Idem bellum. Non sunt facienda mala, ut veniant bona. Bellum iniquitas est; iustitia autem elevat gentes, miseros facit populos peccatum. Ceterum sententia lata est illo iudice, qui verbi sui factor est omnia potens: « Vae tibi qui praedaris, quia et praedaberis! » Scrutamini historias; videbitis haec ad apicem et ad iota perfecta. Manus late porrexerunt Assyrii et Chaldaei; expilavere Persae; Persas, Graeci, Carthaginenses et reliquos, Romani; Barbari. Quinimo ipsa Roma, sicut Niniveh, Babylon, et Ecbatana et Carthago, aeternum silenteret, nisi praeco facta divinae legis, militare illud ius respuisset, et pacis caritatisque praecepta universo humano generi nuntianda suscepisset.

*

Et quoniam hic nos adduxit sermo, videamus quid arrideat iis, qui tot esse volunt cives quot milites, tot esse volunt milites quot cives.

Hoc olim fuisse Romae scimus; scimus autem civilia bella hoc ipso truculentiora fuisse: omnes enim possunt esse simul cives et milites, si virtute austera, probitate maxima, iustitia summa florent. Quid nostris diebus, quibus nec pes nec caput uni redditur forma? Hic regibus, ille reipublicae, alter socialism, alter nihilismo studet. Da arma singulis; postea, et quidem brevi, conspicias.

Sed est aliud. Non omnes ad idem, nec singulos ad omnia providens natura pronos indole voluit. Sunt qui arma detestantur, et artes contra diligunt; sunt quos iuvant studia, non praelia; sunt quos medicina, naturalium inquisitio rerum sive in caelestibus, sive in inferis delectant, non tela, non acies. Impones num his clittellas humeris iniquas? Humeri ad ossa nudabuntur, clittellae frangentur; cito clittella et asinus atteruntur. Iam nunc dic militiam communem omnibus. Quid caecis, surdis, claudis, gibbosis, et similibus?

*

At ego, aut amens sum, aliquid imponam, quod ex parte respondeat volentibus, ut nemo sit otiosus, nemo in vitiis; idque quomodo consonet libertati, quam praedicant, vos videte. Omnes qui labori repugnant cuvis, qui otio scientes et volentes torpent, qui paternam auctoritatem spurnunt, omnes ego hos militiae committam educandos; volentes, nolentes tradam instituendos disciplina immisericordi. Quod olim Romae agebat censura purgans urbem flagitio, iuuentutem otio, et in colonias mittebat, apud

nos nunc militia perficere possit, nempe homines labori assuetos, officii et obedientiae gnos, parentes legibus patriis, et recti consciens et honesti, et auctoritatem tum humanam colentes, tum divinam.

Quid autem si ita litterae, scientiae, artes disposita sint, si omnis ordo populi ita distributus, ut ex hisce omnes et singuli ordinarentur ad militiam quamdam, qua omne in bonum exercitus esset? Quid si artes inter nos et artifices ita fuerint collocata, ut maximopere convenienter, ac responderent stationibus et castris militum tum hibernis, tum aestivis?

Videant hi quibus haec futura militiae dominatio arridet; precentur autem ne haec fiant ipsis viventibus adhuc, nam, decurione iubente, in aliud, a scribendis huiusmodi longe diversum fortasse, irrecusabili imperio adigerentur.

SENIOR.

DE GRAMMATICORUM AC RHETORUM OFFICIIS

APUD ROMANOS (1).

TRADIT Suetonius graeco verbo grammaticos eos appellatos fuisse, qui antea latino sermone literati dicebantur: « Cornelius quoque Nepos libello quo distinguit litteratum ab eruditio, litteratos qui dem vulgo appellari ait eos, qui aliquid diligenter et acute scienterque possint aut dicere aut scribere, ceterum proprie sic appellando poetarum interpretes, qui a Graecis grammatici nominentur » (2).

Hi sane grammaticae erant magistri, seu disciplinae, quae sermonis litterarumque historiam, et antiquitatum scientiam comprehendebat. Sed paulo post inter grammaticos vel litteratos et eos qui litteratores appellabantur discrimen ortum est, teste ipso Suetonio: « Sunt qui litteratum a litteratore distinguant, ut Graeci grammaticum a grammatica, et illum quidem absolute, hunc mediocriter doctum existiment. Quorum opinionem Orbilius etiam exemplis confirmat; namque apud maiores, ait, cum familia alicuius venalis produceretur, non temere quem litteratum in titulo, sed litteratorem inscribi solitum esse, quasi non perfectum litteris, sed imbutum ».

Quare antea litterator seu imbutus, postea litteratus seu grammaticus pueros docebat.

Imbuti institutio, etiam prima litteratura appellata, ut aiunt Seneca et Quintilianus, eadem ferme erat ac familiaris antiquis temporibus. Legendi scribendique rationem, sententias ac faciles versus memoriae mandando, numerorum autem scientiam super tabellis vel digitis, calculos seu lapillos enumerando, pueri ediscebant. Ceterum numerorum scientiae apprime ac citius se dediderunt Romani, suum morem secuti omnia pro utilitate sua perspicendi; quamobrem huiusmodi institutionis obiurgandi causa, quippe quae commodi desiderium praeteritis omnibus infundens, nobilium gestorum memoriam ac aemulationem in ipsis extinguebat, Horatius sic ait:

O cives, cives, quaerenda pecunia primum est,
Virtus post nummos! haec Ianus summus ab imo
Perdocet, haec recinunt iuvenes dictata senesque,
Laevi suspensi loculos tabulamque lacerto.

(1) Cfr. an. III, n. VI. (2) Cfr. an. III, n. VI.

(2) De grammaticis, cap. 4.

Si quadringenti sex septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores et lingua fidesque,
Plebs eris (1).

Idemque, in epistola de arte poetica, cum Romanos Graecos comparet:

Graii ingenium, Graii dedit ore rotundo
Musa loqui, praeber laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. Dicit
Filius Albini: — Si de quicunque remota est
Uncia, quid superat? — Poterat dixisse: — Triens. — Eu!
Rem poteris servare tuam! — Redit uncia, quid fit?
— Semis. — At haec animos aerugo et cura peculi
Quam semel imbuerit, speramus carmina fingi
Posse linenda cedro, et laevi servanda cupresso?

Ex imbutorum ad grammaticorum scholas procedebant iuvenes, anno decimo secundo (nostra aetate ad gymnasii scholas), ubi graeci latinique scriptores enucleabantur, et fortasse graeci imprimis, si eo quoque tempore in more fuit quod ait Quintilianus: « A sermone graeco puerum incipere malo, quia latinum, qui pluribus in usu est, vel nobis no[n]lentibus perhibet; simul quia disciplinis quoque graecis instituendus est, unde et nostrae fluxerunt » (2).

Animi pendeo, utrum idem de italico sermone, qui ex latino fluxit, dicendum sit, nec ne.

Ceterum grammaticorum disciplina in duas partes dividebatur: in prima eleganter loquendi artem, in altera scriptorum interpretationes pueri discabant.

Boni magistri pulcherrimam imaginem refert Quintilianus (3), qui et musicen et *αστρονομικην* et philosophiam grammaticum doctum esse volebat, quo melius carmina, in quibus earum disciplinarum occurunt inditia, enuclearet; aliquantulum deinde oratoriam artem, ut recte et plane discipulis verba saceret.

Inter Romanos primus Q. Caecilius Attici libertus, Tusculi natus, sed natione Epirota, Vergilium recentesque latinos poetas adnotavit; plures autem saepissime in rhetoricas declamationes desiverunt, in quibus nonnulli adeo excelluere, ut in forum e scholis transirent. Quod testatur Suetonius: « Me quidem adolescentulo, repeto quendam Principem nomine alternis diebus declamare, alternis disputare, non nullis vero mane disserere, post meridiem remoto pulpito declamare solitum. Audiebam etiam, memoria patrum quosdam e grammatici statim ludo transisse in forum, atque in numerum praestantis simorum patronorum receptos ».

Hi non pueris modo, at nobilibus quoque adolescentibus verba faciebant, ut Gniffo, L. Ateius Philologus, Verrius Flaccus, teste eodem Suetonio: « Scholam eius (Gnifonis) claros quoque viros frequentasse aiunt, in iis M. Ciceronem etiam cum praetura fungeretur ».

Magnam pecuniam plures ex arte sua congeserunt. Suetonius nos certiores facit Lutatium Daphnidem, quem Laevius Melissus per cavillationem nominis Panosagasma dicebat, occ millibus nummorum a Q. Catulo emptum ac brevi manumissum; M. Verrius Flaccum ab Augusto centena sextertia in annum accepisse. Ad primos honores denique paulatim advecti fuere; nam praeter Melissum et Hyginum quos alias memoravi, Verrio Flacco, Praeneste, Ortilio Beneventi statua posita fuit.

Ut grammaticorum, sic rhetorum schola in duas dividebatur: in prima graecus rhetor de graecorum

scriptis in latinum sermonem transferendis atque imitandis disserebat; in altera vero rhetor latinus, quamvis ratio docendi nec una omnibus, nec singulis eadem semper fuisset, iuvenes praesertim in declamationibus exercebat. Declamationum argumenta, vel ab historia, vel a recentibus Romae fastis, vel a fori causis erant deprompta; quod adeo utile existimabatur, ut Cneius Pompeius sub ipsum civile bellum, quo facilius C. Curioni promptissimo iuveni, causam Caesaris defendant, contradiceret, repetiverit declamandi consuetudinem; et M. Antonius, item Augustus, ne Mutinensi quidem bello, ea omiserint.

Et Cicero de se: « Huic ego doctori (Diodoto stoico) et eius artibus variis atque multis ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. Commentabar declamitans — sic enim nunc loquuntur — saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie; idque faciebam multum etiam latine, sed graece saepius, vel quod graeca oratio plura ornamenta suppeditans, consuetudinem similiter latine dicendi adferebat, vel quod a graecis summis doctoribus, nisi graece dicerem, neque corrigi possem, neque doceri » (1).

Senior quoque Tusculi declamitabat, Hirtiumque et Pansam consules, et Dolabellam declamantes libenter audiebat.

Ex quibus, licet brevissime exaratis, hoc tamen colligendum videtur, tales latinas fuisse scholas sexto et septimo saeculo ab U. c. Sed hoc etiam retinendum, has a magnificentissimis Atheniensibus, Siculis, Alexandrinis, neconon Asiaticis scholis longius absuisse; nam Romani, a graecis moribus abhorrentes, litterarum, artium disciplinarumque notiones sibi comparare parvi ducebant, iis tantum artibus contenti, quibus res bene et utiliter conficere possent.

Quare novas disciplinas complexi sunt, quibus et callidiores et potentiores fierent. Denique, uno verbo, suam culturam appellant urbanitatem (quasi cultura Urbis), scilicet virtutum coniunctionem, quibus civis romanus cum sermone, tum moribus a ceteris omnibus cuiusvis urbis distingueretur.

I. IACHINO.

DE HENRICI SIENKIEWICZ LIBRO

“ QUO VADIS? „ INSCRIPTO (2)

OBLATAM in commentario hoc nostro cuique socio dicendi libertatem, ut quae secum de *Quo vadis?* commenticia Henrici Sienkiewicz fabula sentiret palam fateretur, eo maiore gaudio accepi, quo diuinus rei occasionem nancisci cupiveram, silentiumque servatum hac super re impatiens tuleram. Non enim licebat nobis, puto, auctorem praeterire nobilissimae nationis filium, quae latinam linguam, quoad viguit, tam acriter custodivit, ut in publicis pertractandis negotiis una cum catholica fide semper retinuerit. Quid vero, cum princeps liber eius *Quo vadis?* inscriptus latini nominis et Ecclesiae res apprime memorandas altissima poesi recolat? Hinc enim colligendum, aut ego fallor, quomodo inter gentes Christi religionem profitentes iure auctoris nomen tam late breviterque fuerit diffusum, ut nemo iam supersit, artibus litterisve aliquantulum innutritus, qui librum non perlegerit, nullus populus, qui suo cuiusque sermone vulgatum et a clarissimis litteratis viris interpretatum non viderit.

(1) Brutus, cap. 90.

(2) Cfr. num. XIII, pag. 104 « Quaestiones inter socios propositae ».

Igitur, licet s novi addere per mentum id est esse possit: romani imperii et vitam Evangelium. Post Christum et Tiberio menti Ecclesiae eius in Urbem Petri et Pauli apud quidem cum P nullam certe rat oculis posse en novae fidei vetera erumpere opus.

Hinc christiana stianae fidei negoticon; auctor ac peculiare in adeo calamo pri christianae fidei descriptione indes quidem utinam enarrantibus dat

Verum miriam superfluum nam nempe modum et agendi rationem, quae san runt stupore, qu

Damus profectori contigisse, corruptione redi cuivis aetati non ipsius Sacrae Bibliae Comoedie, ne poematum, nisi sine periculo unius sublimior, aut iudee de maximis his mentis, sic milie dicium.

Itaque nec viri adultis tantum per religionis, ut ethica mira poesi vestitius illi adhaeret et apologetis omni detur: nulla eni quae, post mens prout ars et po

At, per fabu animis vehementi quam quoties ad gica verborum vivis veluti ac paternos nutus vocem exaudim

Alta nox, st cum primum in Ecclesiae nuclei facis splendore, Testis Dominic traditum, virgis simo multitudine a longe canente

(1) Fridericus vadis? fabulam in ita tradidit emendaveret, neque tam

Igitur, licet sero venientibus tantis vocibus aliquid novi addere per difficile effectum sit, fabulae argumentum id est profecto, quo nobis carius nullum esse possit: romanum et christianum, immo, in Romani imperii et Ecclesiae historia, si dominicam vitam Evangelii enarratam excepéris, ferme maximum. Post Christum enim Augusto imperante natum et Tiberio insaniente crucifixum, maioris momenti Ecclesiae annales nil habent, quam doctrinæ eius in Urbem mundi caput adventum et initium, Petri et Pauli apostolorum martyrio firmatum. Quae quidem cum Polonus vates secum mente agitasset, nullam certe ratus est decoram magis pulcritudinem oculis posse enitescere, quam quae ex prima illa novae fidei veterisque corruptionis singulari pugna erumpere opus erat.

Hinc christianus liber sua sponte est ortus christiana fidei novum veluti ac prævalidum apologeticum; auctor enim, etsi demus non id proprium ac peculiare in opere exarando sibi proposuisse, adeo calamo pulchra reddendi peritissimo potuit, ut christiana fidei victoriæ nuda ipsa rerum descriptione indesinenter quodammodo cecinerit, quod quidem utinam tot martyrum historias hactenus enarrantibus datum fuisset!

Verum mirae huius scribendi artis iterare laudes iam superfluum dixi, et cetera recolere: doctissimam nempe morum locorumque notitiam, loquendi et agendi rationem maioribus propriam apte restitutam, quae sane nos Urbis filios non tam perculerunt stupore, quam suavi commoverunt laetitia.

Damus profecto et nos hauid feliciter forte auctori contigisse, ut, nimia hac sedulitate in Urbis corruptione reddenda adhibita, librum perfecerit cuivis aetati non aequa opportunum; verum nec ipsius Sacrae Bibliæ lectio, nec Divinae Aligherii Comoediae, ne dicam Areosti et Tassii et Milton poematum, nisi certa expungantur, adolescentibus sine periculo unquam erunt, quamvis nulla adultis sublimior, aut iucundior exstiterit. Quod quidem ut de maximis his divinae et humanae poesis monumentis, sic mihi praestat de *Quo vadis?* iterare iudicium.

Itaque nec virginibus nec pueris scriptus est liber; adultis tantum patet (1), sed et totius orbis et cuiusvis religionis, ut ethnici simul et increduli fidem Christi mira poesi vestitam diligere incipiunt, credentes arcitius illi adhaereant: quo sane in curriculo, theologis et apologetis omnibus longe potentior vates mihi videtur: nulla enim est ratiocinandi tam robusta ratio, quae, post mentem subactam, corda et voluntates, prout ars et poesis valent, movere nuda possit.

At, per fabulae paginas nullibi ferme christianis animis vehementiores huiusmodi motus excitantur, quam quoties adest Petrus. Exsurgit enim quasi magica verborum arte evocata senis Pontificis imago viva veluti ac spirans, os venerandum intuemur, paternos nutus veluti recognoscimus, blandientem vocem exaudimus.

Alta nox, stellis splendide nitida, Urbi imminet, cum primum inter fidelium multitudinem recentis Ecclesiae nucleus, ad Ostriani rudera, sub tremulo facis splendore, canescens eminet Apostoli caput. Testis Dominicæ passionis forte princeps, Iesum traditum, virgis caesum, crucifixum enarrat. In altissimo multitudinis silentio, quem vix galli interdum a longe canentes, vel torres e face in cinerem ca-

(1) Fridericus Verdinois, cui creditum ab auctore est *Quo vadis?* fabulam in italicum sermonem convertere, ipsam recens ita tradidit emendatam, ut in manibus omnium tute versari valeret, neque tamen artis opus imminueretur. — V. U.

IN IOANNEM BAPTISTAM N*** TECTO NOMINE RVFVM

EPHEBEI CVIVSDAM OLIM ALVMNV

*Rufe, voluptatum quid caeco in gurgite mergi,
Arbore quid vetita carpere poma iuvat?
Flore aevi in primo, solamen dulce parentum,
Indole praestabas, moribus et niveis.
Tum puber cupide scrutari, attingere verum,
Totusque ardebas pulchra et honesta sequi:
Strenuus in primis aquae vos inter ephelos
Divinae cultor Relligionis eras:
Atque ipsa, o quoties!, te vidit serta rosarum
Ante aras pronum nectere Virgo suas.
At nunc o quantum subito mutatus ab illo es!
Virtutis veteris concidit omne decus.
Degeneri affectu, miseraque cupidine fractus
Foedari heu! pateris, sus ut amica luto.
O Rufe infelix, quae te dementia cepit!
Appetis has sordes, haecce stultus amas?
Ah facti pudeat! coeno caput excere tandem:
Ex imo deflens elue corde lucem.
Abnus? et vocem quae te compellat amice
Ne pereas, surda respuis aure, miser?
Exitium struis ipse tibi; ne fide!... profundum
Lapsu praecipiti volveris in barathrum:
Atque Erebi in tenebris ubi, spes iam nulla salutis,
Aeternum crucians poena luenda manet.
Ah! precor, avertat triste omen candida Virgo,
Neu miserum mater deperiisse sinat.
Ipsa adsit misero, placidoque arrideat ore,
Nutanti praesens porrigat Ipsa manum.*

LEO PP. XIII.

(Neander Heraclius).

dentes interturbant, vox insonat lacrimis tremula:
« Ego vidi . . . »

Fateor equidem librum me perlegisse nullum, nec sacrum oratorem audivisse unquam qui ea arte polliceret, et Christi passionem tam vivam in oculis revocaret, ut me ad singultus tandem commoveret, adeo ut lecturam intercipere opus fuerit et liberam lacrimis pandere viam. Amici, aetate proiecti, lectorum auscultantes, una mecum deflebant.

Suavissima autem etsi levior animi commotio toutes iterata est, quoties Petrus deinde in oculos prodit: vel ad Vinicii lectulum cum sanctis conversatus, vel Lyciam virginem ignoti amoris anxiis perturbatam solatus, vel multitudine abditus Neronem intuens Antium proficiscentem, fatidica visione conscius quam brevi tantam divitiarum et potentiae molem Evangelii verbo confractam ruere oportere.

Neque humanam pariter atque infirmorem eius animi partem divino flamme interdum destitutam siccis oculis descriptam perlegi, Apostolum in fovea arenaria ad Vaticanum cum grege, parentibus, marito, aut prole, ferro et igni orbato lacrimantem, vel exterritis eorum precibus et derelictae patriæ reviviscente amore superatum Romanam pedestri itinere per

Appiam viam dereliquentem. At ecce in orientis solis facie adest Iesus, fitque mysticus ille dialogus, qui totius libri veluti summam constituit. Erectus divina virtute, hilaris, morti paratus, Petrus reddit, et cum inter micantes militum galeas, immensa comitante caterva, ad Vaticanum moriturus ascendit, nulla est veteris epopeæ vox, quam Poloni scriptoris calamus non vicerit. Tunc futuram Urbis et Ecclesiae gloriam, momento temporis, moriturus Pontifex intuetur, quae sunt veluti ultimus libri epilogus atque abdita significatio. *Quo vadis?* enim titulus, illud plane mihi indigit iter, quod post Petri martyrium humana societas ascendit, volens nolensque post eius gressus manu divina compulsa, supremam versus metam, quam Apostolus caput cruci daturus perspicie prævidet: urbem illam Neronis, suo purpuratam sanguine, armorum terrore sublatu, veritatis verbo in ultima saecula orbem iterum dominaturam.

Quibus profecto ego in Urbe natus, etsi nil magis reposita mente habeam, tamen post *Quo vadis?* librum perfectum, quoties Vaticanum ascendo, suprema artis vi acrius incendor, et fatorum patriæ immortalium vehementiore affectu recordor.

I. ANTONELLI.

MANICOMIA APUD MAIORES

QUAE narranda suscipimus, ea per obscuros antiquitate annos minime graduntur, sed, quae atavi ab avique nostri viderunt, in medium referunt, et vix a saeculo abeunt, quod excedit (1). Non enim pluribus memorandam verbis putamus veterum sententiam, quae dementes, et maniacos divino flamine agitatos praedicabat, quae numinum compotes, et futuri praenuncios admirabatur in illis, quasi hi praeviderent melius qui rationis usu qui intellectus lumine caruisserint, et participes deorum fierent qui iam belluina, praeter vultum, induissent, qui ab humano more, rituque penitus defecissent.

Huiusmodi vel nunc hi miserrimi apud barbaros habentur, immo inter Mahumetanos non exigua veneratione coluntur. Proh inversi mores, diversaeque mentes, quot a veritate recidunt! Aevo illo, quod medium dicitur, non consci cælestium, non religione colendi, sed ignibus, sed cruciatibus exterminandi ducebantur, veluti maligno pleni daemone, a quo per transversa quaque trahentur. Haec erat opinio gentium, quae propius ad deos accedere putabant eos, quos aliae terrimis suppliciis expiatos, veluti averantes cælestibus, capitali poena plectebant, tartareis furiis infando foedere sociatos. At bono totius humani generis vir ille sanctissimus, Vincentius de Paoli, emicuit in Gallia, cuius nomen insigne fere omnia continet, quae caritas leniendo, medendo, largiendo, beneficiando potest. Hoc igitur pro iis deprecante, constitutum est ut a consortio civitatis removerentur, et pro iis esset asylus, quo continerentur. Primum itaque nosocomiis crediti sunt, crediti sunt domibus publicis egenorum solatio extrectis. At quia et aegrotis et pauperibus molesti plerumque, et furiis dementiae suae præcipites interdum dira patrabant, in vincula coniiciebantur et carceres, in latebris, in obscuris detinebantur, saepe crudelibus dati custodibus, qui in miseros verberibus et multiplici tormento saeviebant. Expedit enarrare quae tradita sunt.

Nonnulli viminea cavea induebantur a collo ad poplites ita disposita, ut nec manibus, nec pedibus ad inferendas iniurias et vulnera uti possent. Abeundi autem in atriis pro lubitu potestas erat, per porticus circumeundi; quo tuti, et incolumes essent, cavea tuebatur.

Erant et alii, qui in maleficia proni, qui furoribus agitati atrocità tentabant. In hos omne tormentorum genus præ manibus, ut resipiscerent, ut abstinerent a criminibus, in quae furiantes ruebant. Hinc alii, manibus pedibusque constrictis, in quoddam patens armarium sedentes compellebantur. Armarium autem ferro innixum ita dispositum erat, ut facile impetu maximo in orbem circumvolveretur, quo facto patiens tali afficiebatur vertigine capitis ut vomitu, resolutis viribus corporis, quasi vitae nescius, languens tandem prolikeretur, morti ali-

quando et obnoxius. Alii et ex miseris in quadam rota intus vacua concludebantur, quam duo, vel e custodibus plures manu valida super axe ferreo convertebant, eo ferocius quo ferocior demens inclusus. Denique tormenti genus erat, quo demens impositus ac alligatus naviculae exiguo natanti in lacu, machina desuper agente lintrem, in orbem celerrime agebatur. Quid plura? Curationum omnium fundatum erat in hac repentina et rapida circumvolutione, qua vel sanus aut efficeretur demens, aut necaretur omnino.

Quorsum haec dira? Nempe uti pavere, ut bruta, scirent, qui parere nesciebant. Multos praeterea pe-


assentirebant. Rem Pinelio medico periculorum plenam, et excidio eius proximam putat, attamen enixius roganti concedit optata. Nec mora. Laxantur vincula, tolluntur catenae, removentur compedes. Dementes, quos Pinel bona saepe locutus molliverat, laeti assurgunt, et, mirabile visu, medico pacati, quieti, et laetabundi quasi parenti carissimo frequentes adstant. Brevi quamplures ad amissum rationis usum, ad mentem redeunt, et sani e manicomio dimittuntur.

Curationis hoc genus uberes fructus attulit, haeseruntque in illo tum Pinel tenacior, tum discipulus eius Esquirol, qui anno 1840 decessit. Exinde autem, ipsius Pinel ab incepto, manicomia ita commutata sunt, ut nostris temporibus non carceres ad bellus humanas coercendas torquendasque, sed saluberrima domicilia aegrorum, fortassis etiam iucunda videantur. Munda illuc omnia, squalor, foetorque nullus, non catenae, non fustes, non verbera, non minae truculentique vultus; non denique esurie, non venarum incisio ne infirmi curantur, sed exemplo quietorum, persuasione, blanditiis, musica, quæ tantum in placandis animis potest, sed opportuna electione alimento rum, suaviter potionibus medicatis, omni prorsus abrogata vi, omni iniuria. Plurimos in dementiam infortunia egerunt; ecquid addere vulnera vulneratis?

Quinimo, cum interdum sint ii, quibus ea sit mens ut omni abstineant cibo, et confecti fame moriantur, non adest plagosus, ut olim, custos, qui ferro immisso in os dementis cibum paene suffocans ingerat, sed fames in aegroto excitatur, stimulis augetur epularum delicatissimarum, quibus actus amens tandem aliquando naturae altius flagitanti obsequitur, et sponte et volutuose vescitur iis, quae antea respuerat, cum paveret ne, occulto per epulas veneno inserto, maligna fraude necatur.

Haec omnia in melius nunc in manicomii habentur. Nos caritati plaudimus, quae vincit in bono malum, et qua bona coniurant in optimum.

P. ALEXIS.



Tuscaniensis aedes S. Mariae Maioris prospectus exterior.

nitus includebant in capsis tantum fenestra relicita, qua spirare, qua videre possent.

Silentio premius horrenda relatu, quoad cubilia squalentia situ, foetore non adeunda, omni animam turpissimorum populo scatentia, quae concipi possunt animo, sermone aequari non possunt. Vincentius ille, quo vivo et advigilante nemo infanda haec ausus fuisset, a vivis excesserat, resque omnis a caritate ad mercenarios abierat.

Verum anno 1793 Pinel, medicus in nosocomio Bicetreensi, primus petit ut catenae, nervi, funes, quibus miserorum quamplurimi solo, parietibus, lectulis adstringebantur, omnino auferrentur; libertas praemium placidis constitueretur; carcer, at infirmis aequum non latronibus compar, decerneretur turbidioribus, si iuvantia, si mulcentia verba, si humana quaeque ad placandos et molliendos feroce animos inutilia redirent. Couthon, tunc temporis municipio praefectus, rem proprius adspicere voluit antequam

(1) Scriptit E. Toulouse in commentario cui titulus: *Revue Encyclopédique Larousse*.

Interior sa suggestus, alt subsellia, totid tescunt. His vel xi perfecti, primi mantur; ea ve ingenuis colo in « bulla » V declarat, « olin nerius episcop inscriptio tes episcopo per Romano Fesc bevetano, Ioan Balneregensi

De omniu

VENIO nu

dicendum, quo dedicatum, ad omne dedicata nec a dignitate abscessit, quip reficiat, et, h centia conspi quae ibi sunt Locum autem ut honor es tium ac dis parens ubique cerimus pietate dicade; nos u contendimus celebritate et vestro habere mas, quoad a

Quatuor a in quo assur patens mole s tione, archite metra in fro profert, oblat Dices domi culo tantae arium, plenum aureae indol mira, quae te mun, quae Marci basilic dunt; at hic fusa, sed et ut neutrum

Qua qui laudare non gentes vel eas, vel suificando retulit est, et vestra dum conficitur, s vestra libera bellissimum scit, gnarus eo aedifica hinc adest

TUSCANIENSIS AEDES S. MARIAE MAIORIS

TUSCANIENSEM Sancti Petri aedem, lectissimum Romanicae, quam dicunt, atque Byzantinae architecturæ monumentum, cum in commentario nostro proposuimus, germanam hanc Sanctae Mariae Maioris brevino datus sperare diximus, et hodie exhibemus. Ecclesiae frons ad orientem spectans, ut in omnibus antiquis ecclesiis aedificandis passim cavebatur, Sancti Petri faciem proxime imitatur, at venustiore quidem stilo eam delineatam scalproque expolitam portarum praecipue arcus argunt. Hos in maiore porta binae columnæ sustinent, leonibus innixa, aliaque octo post primas collatæ, mira elegantia digredientes: minores portæ medianam, quantum par est, imitantur. Sed lectissimum marmoris opus in summa præeminet fenestra illa rotunda, in qua quid magis demireris nescis, formæ venustatem, an artificie peritiam. Complebat atque perficiebat omnia campanaria turris, cuius fastigium saecula misere diruerunt.

ericorum plattamen enixius
Laxantur vincompedes. De-
tus molliverat, medico pacati,
carissimo fre-
ad amissum ra-
t sani e mani-

tus attulit, haec-
tum discipulus
Exinde autem,
to, manicomia
ut nostris tem-
ad bellus hu-
uendasque, sed
aegrorum, for-
deantur. Munda
et torque nullus,
s, non verbera,
ue vultus; non
narum incisioe
exemplo quie-
tunditiis, musica,
ndis animis po-
tectione alimen-
nibus medicatis,
vi, omni iniuria.
infortunia ege-
vulnera vulne-

terdum sint ii,
omni abstineant
moriuntur, non
custos, qui ferro
s cibum paene
nes in aegroto
et epularum
s actus amens
ae altius flagi-
ante et volu-
antea respue-
lto per epulas
fraude neca-

us nunc in ma-
caritati plau-
no malum, et
optimum.

P. ALEXIS.

MAIORIS

cissimum Ro-
nae architec-
nostro propo-
Maioris brevi-
bimus. Eccle-
anibus antiquis
anti Petri fa-
demi stilo eam
um praecipue
columnae su-
t primas collo-
ortae medianam,
um marmoris
otunda, in qua
statem, an ar-
et omnia cam-
ere diruerunt.

Interior sacrae aedis ambitus, columnarum capita, suggestus, altare maximum, baptismatis fons, chori subsellia, totidem veluti marmorariae artis gemmae nitescunt. His vero non satis: nam picturae saeculo x vel xi perfectae, quae in extrema pariete vel in abside resident, primaevae artis specimen satis pretiosa aestimantur: ea vero maxime, quae Universalis Iudicij diem ingenuis coloribus refert. Ecclesia, prouti Leo PP. IV in « bulla » Virobono episcopo Tuscaniensi inscripta, declarat, « olim caput episcopii exstitit » eamque Raynerius episcopus anno 1206 sacravit. Rem marmorea inscriptio testatur, enarrans immo id a Tuscaniensi episcopo peractum, « una cum episcopis Petro Sutriño, Romano Fescennensi, Girardo Nepesino, Matthaeo Urbevetano, Ioanne Ortano, Viviano Suanensi, Burgundio Balneoregensi et Rollando Castrensi ». A. C.

EX GALLIA

De omnium rerum Expositione Parisiensi.

II.

VENIO nunc ad ea, quae vos Italos in Expositione nostra proxime attingunt, nempe ad illud aedificium, quod et civibus et artibus italicis voluimus dedicatum, ac dedimus ultro libenterque, ut fausto omni dedicaretur. Nec res ab omni nostro et spe, nec a dignitate vestra, nec ab exspectatione gentium abscessit, quippe talis est, ut allicit oculos, et mentem reficiat, et, harmonice simul elegantia ac magnificientia conspirantibus, aliquid extet quod omnia, quae ibi sunt huiusmodi, longe antecellere videatur. Locum autem vobis nos ipsi delegimus principem, ut honor esset patriae vestrae, quae pulcrarum artium ac disciplinarum omnium optimarum quasi parens ubique gentium celebratur. Utrum haec fecerimus pietate filiali, an dilectione fraterna, vos iudicate; nos utraque de causa fecisse, et recte fecisse contendimus. Vos eo deduxistis opus, ut Parisiorum celebritate et frequentia dignum, dignum nomine vestro haberetur. Quoad primum gratias ago maximas, quoad alterum gratulor.

Quatuor autem praecipuis effulget; scilicet loco, in quo assurgit, spectantibus undequaque integrum patens mole sua, divitiis, partium distributione, architectura. Quinque et sexaginta metra in fronte, duo de triginta in agro profert, oblata enormis rectanguli forma. Diceres domicilium Musarum, quae xv saeculo tantae apud vos fuere; elegans, aërium, plenum artis et consilii; et, vestrae aureae indolis opus, felicitate congregat mira, quae templum Mediolanense maximum, quae Ducis Palatum, quae Sancti Marci basilica Venetiis continent, et ostendunt; at hic neque disperita neque confusa, sed et separata et simul coniuncta, ut neutrum sint dum idem sunt.

Qua quidem re sententiam vestram laudare non desinam. Dum enim ceterae gentes vel monumenta, quae sunt apud eas, vel suorum specimen morum aedificando retulere, vos aliquid novum moliti estis, et quidem pulcherrimum, quod, vestra dum refert, nullum ad exemplar conficitur, sed per optimam quaecumque vestra libere spatiatur. Qui vestra nescit, bellissimum quid intuetur; qui vestra noscit, gnarus artis spectator, redolentia in eo aedificia sentit, ac tamen non videt; hinc adest delectatione nova, et curiosi-

tate inexplebili dum reperit singula, hoc illuc diffusa, pererrans. Hinc dum Belgica natio palatium urbis Audenardensis simulavit, Anglici vetus dynastiarum domicilium, Helvetia montanum vicum, quae omnia ampliora et vera magis invisentes locis in suis conspexit, vos novum quid edidistis veluti breviarium et compendium, paene anacephaleosim dicam mirabilium vestrorum, in qua, fraterno more et concordia fraterna, plura simul inhabitant. Credis adesse viridario, in quo singuli flores dum ollent suum, miscentibus omne Zephyris, adducunt indistinctum ad nares odorem, novum et suavissime demulcentem.


Hinc apud nos Ceppius vester, architectus et creator operis, et qui duo cum eo fuerunt in mole hac excitanda, Gilodi scilicet et Salvadori, summa in laude esse ceperunt, et passim per omnium ora feruntur. Quis enim non iure laudari? Excipe coecos. Quis non laudat? Excipe luentes invidia, et gloria vestra nefario scelere tabescentes; nam vel rudes artium pulclarum, villicos ligonum gnoros rastorumque tantum, video coram attonitos, si quando ex agris Parisios deveniunt agrorum suorum hortorumque venalia dona ferentes. Hos autem, dicere et scribere iuvat, patriae suae, principisque urbis laude superbos impellit ad invisa loca haec sua gentis dilectio, quae apud nos maxima semper fuit.

Tota aedificii frons trifariam distribuitur; in singulos autem ex tribus ordinibus Ducalis Venetiarum Palatii recordatio dominatur, ea praesertim quae supereminet in aditu maximo ad atrium, qui *Porta della Carta* nuncupatur. Et quoniam, uti superius, totum in rectangulo est aedificium, quatuor sunt pariter aditus, quasi quatuor orbis terrarum partibus pateat, quasi ex omni loco adventantes invitent. Quatuor ab angulis totidem assurgunt ex aequo altiores fornices, turritae, continentis medianam testudinem ad similitudinem illius, quae summa in Sancti Marci basilica Venetiis est; eadem enim disciplina, ornata ac dispositione operitur. Adest regia porticus, unde accessus in interius, qua ex portico ingredimur aulam admirabilis magnitudinis, tablino et ambulatorio novoque portico interiori circumdatam, ex quo scaliarum ingens ordo ad superiora provehitur, ita porro,

ut porticus interior ex aequo aulae altior sit, atque parietes pictoriae arti liberos occupandosque praebat, et oculis omnia, quae subtus, libere conspicendi relinquat. Fundamentis autem consultum est immissis in profunda trabibus, quibus superimposita contignatio metallis constrata, qua fit ut locus omnis, aedes tota non innitatur muris sed areae, quanta est, ac propterea, non nisi hiatus soli, qui totum aedificium deglutiret, ruinae compos.

Quicquid in fronte est vim verborum exsuperat; nam pulcherrimus lucis error, inter terebrata gothicis ritu ornamenta flores, frondes, chimaeras circumvolutione mirabili elegantique referentia, et quasi post multos errores ad litus appellat in pace requiescens, in zonam, opere musivo et multicolori diductam, desinit, delectamentum ingens contuentium oculis afferentem. Quod quidem, sit venia audenti, arte mira factum videtur, nam idem praebet, quod mihi Ligustica vestra et Neapolitana navi adlabenti et circumeunti saepissime praebuerunt; quippe quia ex irrequieto tremuloque pelago prospectus erat in quietas ripas viridariis, hortis, pomariis refertas, et medicorum malorum, citrinorumque flavore inter frondium viride fulgentium, florumque varietate mirabilis ornatas. Quid marmora memorem reddentia temporis romani opulentiam, opulentiam maiorum vestrorum, qui a romano tempore monumenta eiusmodi instaurarunt? Simulacra supra centum modo sola, modo pluribus constantia statuis per tholos, per fastigia disponuntur consensu suavissimo respicientibus, modo in loculis, in aediculis adstruuntur, quae omnia vel antiqua apud vos ac toto terrarum orbe celeberrima signa reddit ad unguem, a Laocoonte, ut ita dicam, ad Moysen Bonarrotii et ad Charites Canovae caelestis, vel hodierna reddit inventa pulcherrimarum imagine allegoriarum.

In penetralibus, in conclavebus, in aedibus, ubique denique intus collocata sunt, quae apud vos ediderunt connubio felici ars et industria, fontium prospectus, simulacra ex aere, ex marmore, ex creta, ex gypso, quid Signa, quid Venetiae, quid Muranum potuere crystallis, acu, filo, metallis, rebus et materie quavis, vel pretiosa; at opus, laude vestra dicam, saepe vel pretiosissimam superat materiem.



Tuscaniensi aedis S. Mariae Maioris prospectus interior.

Plurima brevi explicabo compendio. Si quanta est Parisiensis Expositio annulo aureo comparetur, aedificium italicum hoc adamanti aut gemmae recte comparabitur, quippe tale apud omnes,

*Qualis gemma, micat, fidum quae dividit aurum,
Aut collo decus aut capiti, vel quale per artem
Inclusum buxo, aut Oricia terebintho
Lucet ebur.*

Videte modo quanta opportunitate inter se pulcra et pulcra convenient; nam carmina Vergilii in meam hanc epistolam non quae sita, sed sponte venerunt, quasi ut italicum princeps opus princeps latini carminis musa sua decoraret. Quid si ego dixerim in mea adventare verba eodem ritu, iisdem more, fortuna, causa, quae vestrum opus illud in Expositio nem nostram concessit? Dum vestra extollo, nostra effero; siquidem romani cultus nos genus sumus, ac tum nostra superbimus origine, tum cultu vestro; superbimus autem potissimum quia, quae sunt credita nobis, et provehimus et provehemus. Ego autem a vobis grave et magnum exspecto; nempe ut quum apud vos Expositio fiat, eum mihi reddatis animum, idemque munus, quod ego vobis vestrum amantissimus ostendo.

A. VIEILLOT.

SINENSES PORTUS

Quae Sinenses fines hodie pessimum addeo gravia sunt, ut perraro majoris ponderis eventus saecula viderint; revocant equidem animum ad tot malorum originem saepe recolendam, quae profecto quisquis nostrum, eti aperte fateri nolit, probe sentit tamen inde plane emerisse, unde prima «flavae illius gentis» litora Europaeorum «album genus» occupavit. Nam Sinensium portus ita enim cupiditas nostra iniustumque lucri desiderium cavit - suorum navibus tantum domestica lege patentes, armorum arbitrio nostri aperuerunt, fractisque antemuribus curaverunt, ut cuiusque gentis navigiis libera via sternetur; itaque Britanni Hong-kong, Lusitani Macao, Germani Kiau-ciao, Russi Port-Arthur, Iaponii etiam Vei-hai-wei, viritim potiti sunt, atque armis et oppidis muniverunt certatim.

Hong-kong, insulam scilicet ab odoriferis aquis (haec enim nomen sonat), ab anno usque 1841 Angli occupavere; basaltes lapidesque numidi locum constituent, qui per quadrata chilometra unum atque octoginta sua litora portendit. Cum tenuerunt eam Angli bis millia incolarum vix dinumerabat, qui aut agrorum cultu aut piscatoria arte vivebant; nunc contra Victoria urbs insulam decorat, quam Cuan-tai-ho Sinenses vocant, quinquaginta millia civium frequens. Reliqui, quos regio universa alit, nunc ad tercenta millia excreverunt, per amoena vallum atque silvarum in constitutis oppidis congregati. Anglicum urbis adspicuum pulcherrimum optime reddit lucidus aer, florentes hortuli, saluberrima caeli indoles; nisi quando typhones venti teterimi locum e fundamentis pervastant, hominumque horrendas inferunt caedes. Sed praeter Sinenses et Anglos, Indi, Parsi, Malenses, Birmani atque Lusitani per vias conspicuntur, quorum frequentia portus commercia ita aucta sunt, ut iam ad quatuor millies centena millia libellarum dinumerentur.

Macao, vel Ngao-nun, Lusitani habent, quorum tamen imperii iura Sinenses magistratus nunquam recognovere, qui ipsis proinde annum tributum persolvunt. At possessio vetustissima, necnon quas Amard praeses anno 1849 constituit munitiones, Lusitanam omnino urbem effecerunt, quam septuaginta fere hominum millia, Sinenses plerique, complent. Inde per tria fere saecula omnia Europaeorum Sinensiumque commercia Lusitani moderati sunt; Camoens inibi Lusiadum, poematis celebrissimi, pulcherrima carmina scripsit. Sed baiulorum sinensium commercium infandum locum diu reddidit: nunc contra indigenae

omnia sui portus negocia fere exercent, et saccari, indici, opii ac similium mercatoria arte vivunt.

Chiao-ciao (Kiau-Tchau, Kiaot-cheu) Germani anno 1897 in Scian-tung provincia occupavere. Montes orientis, ex quibus nomen sumpsit, per eam sese protendunt, eamque tercentes centena millia incolarum habent. Europae navibus, Mac-Cartney duce, anno tantum 1793 litora eius innotuere, quae etsi in numeros sinus, atque insulas dirumpantur, portum tamen optimum fere nullum pandunt Tellus Sinarum optima est, carbonis ferrique thesauris ditissima, necnon auri adamantumque fodinis; at horrenda pariter incubuere infortunia, aquarum inundationes, typhones, Tai-ping incursus, quibus hominum caedes latissimae sunt effectae. Portus meridiem versus Chiao-ciao nomen retinuit, etsi urbem aliquantum a litore crescentes arenae removerint. Sed sinus innumeri per quos, ut diximus, sese litus flectit, frugum atque pecudum commerciis aptissimi sunt, ipsaque novi portus natura, navalibus copiis excipiendis muniendisque tutissima est, nec glacie unquam riget. Quare optime praevident ditissimum sibi locum Germanos adlegisse, quem irrigat etiam celeberrima imperialis illa fovea, qua flumina totius imperii maxima Flavum ac Caeruleum coniunguntur.

Russi vicissim, ut mitioris aëris portu fruerentur, Port-Arthur ad Liao-tung peninsulae caput potiti sunt, ut ex opposito litora maximum Pe-chi-li sinum invigilarent, ex quo brevis est ad Pechinum urbem caput via. Te-lien-van, sinus facillimus ac praevalidis munitionibus firmatus, Russis portum dedit quo, flagrante adhuc cum Iaponensibus bello, tot Sinensium bellica atque negotiatoria navigia configurerunt. Itaque qui locum tenent, ipsam imperii urbem caput minitantur atque Manciuriam provinciam, unde hodiernum imperatorum genus primum prodiit.

Wei-hai-wei haud inferior locus est, sinu undique veluti annulo praecinctus. Sinenses inibi, Germano von Hanneken moderante, emporium navalibus copiis sibi maximum constituerant. At Iaponenses, bellica virtute praevalidi, sinu atque oppidis potiti sunt, indeque tenuerunt acrius, ut sibi liberum ad Sinenses appulsum servarent. Totius belli victoria inde Iaponis parta, tutumque iter Pechinum versus patuit, ita ut pacis componendas esset initium. Sinum geminae peninsulae rupibus scabrae atque altitudine praeruptae complectuntur, Vei-shan, Po-hsci-hua; Sgu insula denique ingressum obstruit, atque hinc et inde exitus aquarum et navium est.

Hos itaque alienigenae tenent in Sinensibus portus; at sunt et alii, de quibus aequiori ferme iure, ut sibi tantum patienter, contendunt, quod praecipue post opii bellum, quod dictum est, medio superiore saeculo est concessum.

Primum itaque Canton urbs, historia bellorum celeberrima, praे omnibus Sinarum urbibus insolita, alia in solo, alia contra in mari Venetiarum instar est constituta. Eam vices centena millia hominum incolunt, aëris tempestate insalubre; at commerciis praecipue cum Anglis maximam, unde eloquium ei quoddam peculiare ortum est, neque anglicum neque sinicum, quod *pigeon-english* vocavere.

Tien-tsin, seu «caeli-vadum», ubi tanta in praesenti fata agitantur, decies centena millia incolarum habet, in feracissima media planitate, unde fovea latissima ad Pe-chi-li sinum est iter, cuius ad ripas emporia, officinae, acervae Europaeorum mercium innumera erant. At, dum scribimus, tantae molis vix cineres forte manere arbitramur.

Han-keu habitatores ad octingenta millia adnumerant, fluvialis portus in media Hu-pé provincia, qui fere umbilicus est totius imperii atque Sinensium negotiationum centrum.

Hang-tsen in meridionalium provinciarum principe loco septingenta millia civium sedem delegerunt. Hunc Marcus Polus invisit, Quinsay nomine vocabant, eratque inferioris imperii caput, decies centenis millibus domorum insigne, balneorum tribus millibus, pontium duodecim millibus; quae etsi late exaggerata crediderimus, urbis tamen nobilitatem proxime evincunt.

Fu-scheu sexcenta hominum millia habet, Fo-chien provinciae caput, portusque, Canton inter ac Shang-hai, potissimum. Nomen «beatam regionem» significat, quod profecto locorum amoenitate iure sibi urbs vindicavit. Fovea ad rem excavata iter ad mare usque navibus praebet, quam munitionibus frequentissimis undique utati sunt Sinenses, et anno 1840, ne Angli ingredierentur, immanibus rupibus intercluserunt. Navalis schola, bellicumque navale emporium et officina anno 1869 inibi condita sunt, flumenque Min, quo irrigatur, pons quadrigentis mensuris productus, quadraginta pilis impensis, ausu eximio factus, intersepit. Thea commercium inibi potissimum.

Shang-hai, ad Flavi fluminis oras, portus totius imperii maximus habetur, eumque saepe Angli occupare conati sunt; Chu-san arcipelagus ipsi opponitur; hunc Angli anno 1846 tenuerunt, sed tamen reddere brevi ipsis fuit, ea tamen pactione, ut nulli alli genti in postrem concederetur, ne erectae inibi munitiones commercia totius loci tamquam ex oppido dominantur. Innumera itaque sunt ibi opera exstructa ad paludes exsiccandas, litus elevandus, foveas deducendas, arcendos fluctus, purgandum aer, quibus quidem moliminibus Flavi fluminis arenae quotidie adversantur, ipsa enim urbs, quam fluctus antea attingebant, quadraginta millia passuum nunc a litore abest.

Ning-po pariter ad Chu-san insulas spectat; anno 1522 Lusitani tenuerunt, sed viginti post annis eorum colonias Sinenses deleverunt, incolas omnes necarunt, naves demiserunt.

Scink-yang, denique, Kiang-su in provincia, cum Shang-hai, foveis deductis, coniungitur. Anno 1842 Angli, urbe potiti, foedus pacis, ex Nang-king dictum, iniere, sed urbis per vias innumera cadavera invenerunt; cives enim in servitutem incidere turpissimum existimantes, mortem sibi suisque inrogare potius elegerant. Tai-ping perduelles anno 1853 urbem vastarunt, sed quarto post anno imperii legiones eam iterum tenuerunt maxima hominum clade.

A. COSTAGGINI.

ANGELUS

(ROSSORUM FABELLA POPULARIS)

GEMINOS pueros muliercula pepererat: cum Deus angelum misit qui animam feminae auferret. Sed angelum, cum ad eam advolasset, miseruit duorum in cunis parvolorum, adeo ut, matris anima relicta in corpore, ad Deum volans rediret.

— Quid? animamne abstulisti? — rogavit eum Dominus. Ille negavit. — Cur ita? — Tunc angelus: — Illi mulierculae duo sunt parvuli tenelli; quis eos nutrit? — Deus virgam cepit eamque, lapide percusso, in duas partes fregit. — Huc accede — inquit Deus angelo. Propius angelus inspexit fracturam. — Quid hic vides? — rogavit Dominus. — Duos — inquit — video vermiculos. — Qui hosce vermiculos nutrit idem parvulos illos tenellois nutritisset.

Tunc alas Deus angelo dempsit, eumque triennium in terris vivere coegit.

Collocavit ergo se angelus pro servo apud sacerdotem quemdam, ibique annum exigit unum et alterum. Olim forte sacerdos misit eum ad negotium nescio quod exsequendum. Servus, cum ante templum pervenisset, adstitit et lapides in templum sine intermissione concire cepit, crucem, praesertim petens turri campanariae impositam.

Hominum paulatim multitudo concurrit; omnes increpare illum ceperunt et aegre a vi abstinerunt.

Servulus procedens longius, cum in itinere ad cauponam pervenisset, statim flexis genibus fervidas preces ad Deum fundere cepit.

lia habet, Fo-chien
in inter ac Shang-
gionem » significat,
ure sibi urbs vindi-
d mare usque na-
uentissimis undique
ne Angli ingredie-
unt. Navalis schola,
ina anno 1869 inibi
rigatur, pons qua-
raginta pilis impo-
Thea commercium

s, portus totius im-
pe Angli occupare
si opponitur; hunc
men reddere brevi
ali genti in poste-
nitiones commercia
quarentur. Innumera
valudes exsiccandas,
arcendos fluctus,
minibus Flavi flumi-
enim urbs, quam
millia passuum nunc

spectat; anno 1522
nis eorum colonias
ecarunt, naves de-

n provincia, cum
Anno 1842 Angli,
dictum, inire, sed
nerunt; cives enim
stimantes, mortem
t. Tai-ping per-
d quarto post anno
maxima hominum

A. COSTAGGINI.

PULARIS)

erat: cum Deus
feminae aufer-
advolasset, mi-
, adeo ut, matris
volans rediret.
rogavit eum Do-
Tunc angelus:
tenelli; quis eos
lapis per-
accede — inquit
pexit fracturam.
inus. — Duos —
osce vermiculos
utisset.
, eumque trien-

servo apud sa-
exegit unum et
im ad negotium
cum ante tem-
n templum sine
praesertim pe-

ncurrit; omnes
a vi abstine-

n in itinere ad
enibus servidas

— O stultum homunculum! — aiunt praeterentes — qui lapides in templum iacit et apud cauponam precatur! Tales insanii parum vapulant.

At angelus post illas preces longius processit, cumque in itinere mendicum vidisset, statim increpare illum cepit, ploratorem vocans.

Qui praeterentes audiere, ad sacerdotem, eius dominum, eunt incusaturi: — En! — inquiunt — ita se in publico servus tuus gerit! omnino insanii: sacra ludibrio habet, pauperes contumeliose increpat.

Ergo sacerdos eum interrogavit: — Cur tu lapides in templum conieciisti, ante cauponam precatus es?

Servus illi: — Neque in templum ieci lapides, neque ad cauponam oravi Deum. Sed, cum ante templum venissem, vidi spiritum impurum pro peccatis nostris ibi degentem et modo templum circumuenientem, modo cruci adhaerentem. Lapidibus ergo illum obruere institui. Cum autem ad cauponam pervenissem, multos ibi homines vidi potantes, ludentes, de morte autem futura minime cogitantes. Tunc ego Dominum oravi ne illos recte credentes homines ebrietate vinci et in aeternum exitium ruere sineret.

— Cur autem indigentem increpasti?

— Quemnam indigentem? magna est apud illum pecunia, et tamen homo plorator colligit eleemosynas. Veris sane pauperibus iustum quaestum adimit; idcirco illum ploratorem vocavi.

Triennali deinde servitio peracto, cum angelo mercedem sacerdos dare vellet, — Minime! — inquit ille — nummis non opus est mihi. Quin potius, queso, me sequere.

Sacerdos illum secutus est, amboque longum iter peregerunt.

Reddidit autem angelo Deus alas, et ille sustulit se a terra et in caelum volavit. Tunc denum sacerdos angelo Domini se per triennium servi loco usum esse intellexit.

Interpretatus est N. FESTA.

COMMUNIA VITAE

De papilionibus ac de messe.

NIHL suavis aestivo hoc in tempore et nihil pulcrius antelucanis horis domo excedere, et romanos per agros late patentes abire, praesertim si tecum volumen perferas, in quo vel maiorum gesta in his locis, vel, quae ad agros pertinent, contineantur. Indoli meae morem gerens utrumque facio matutinus deambulator, et historicus dextero sacculo liber, agricolis liber carus laevo creditur; saepius, utrisque bonus, Virgilii unus est mihi, a quo omne rusticum in *Georgicis*, omne historicum nostrum in *Aeneide* praebet.

Itaque per Flaminiam ad Milvium pontem fuit iter mihi, et pro ponte sedebam plurima mente versans, et (quis menti praescriperit viam?) omnia considerans praeter ea, quae legenda chartae ostendebant. Exlex ibat animus, exlex et oculus; ille per praesentia et antiqua, hic per Tiberis resonantis undas, per lucos et prata obversa, per ripas et campos, quae messorum turba invadet flaventes cerealibus maturis. Tum repente a meis meditationibus eripuit me vox prope sonans: — Ecquid, et occur hic tu, magister? — Converto frontem; duos novi generis venatores aspicio, primo quidem piscatores existimans; Rostagnum nempe et unicum eius Nium oblongo calamo superpositum ad lunae formam gerentes breve rete. Quid, nisi piscarentur, pro ripa Tiberis dextera gradienes? Novum profecto piscationis genus non est; at noctu, non interdiu, et face subseciente, in quam irruentes pisces, atque ita in rete incidentes, capiantur. Ad quid ergo die, ubi sol monet insidias, et timidum natantium gregem a compositis arcet dolis, quos prodit? Iamque mecum una

considerant; et curiositatem meam ipse cohibere non valens, quaerebam quid esset de pescatione matutina, quid illo de retiaco, quid denique de capsula lignea illa, quam haerentem loris humero filius gerebat, imparem piscibus concludendis, sic captarentur. Bonus risit amicus, et: — Non haec — ait — in pisces praesto sunt arma, sed in papilones; bellum itaque inferimus non aquae, sed aeri, terraeque; nam et vel propriis volitantes praeripiimus retibus, vel herbis, frondibus, floribus, humo incumbentes et immorantes cooperimus et, velint, nolint, in nostram redigimus potestatem.

— Nonne — tunc sic ego — crudeles sumus, qui innocentiae huiusmodi bestias carcere mulctamus et morte atrocissima?

At ille contra: — Toto errabis caelo si praedicaveris non nocentes; nocent enim papilioes plerique; profecto nihil veneni, quod venis nostris vulnerantes inserant, habent; at pestis hortorum, pestis arborum sunt, pestis frumenti, pestis arborum. Postquam enim ova sua deposituerunt in frondibus, deposituerunt in tritico, in quercubus, in brassicis, in caulibus, vermes inde nascentur, qui miseris depascuntur frondes, quibus haeserunt, ut inde chrysalides facti in papilioes immutentur novas calamitates agricolis allatu. Quid ultra quaeres, si consideraveris tibi, mihi, civibus, rusticis, gentibus denique omnibus a vastatione horum integras servare vestes non licere? Quid enim tineae sunt, nisi papilioes progenies? Et quid ex tineis, nisi papilioes oriuntur? Si ergo hos inquirimus, ut examinemus atque scrutemur, aequum est. Sic enim aliquando inveniemus modum, quo ab ipsis nostra tueamur. Satis esto cognoscere ex una tantum specie papilionum, nempe ex ea, cui: *phalena tritici*, vel: *celdonia tritici* commune nomen, tantam quotannis frumenti molem absumi, quanta millies centenis millibus hominum sufficiat nutriendis; cumulamus enim damna, quae adducunt in horreis, damno, quod ferunt in agris. Excidium ingens! Nec aliter appellare debemus triste opus, quo decima quinta pars humani generis pane privatur. Haec talia sunt, ut in iis exterminandis iure illo utamur: *adversus hostem aeterna auctoritas*; cariores enim nobis natura voluit homines, quam animalia. Naturam ducemus igitur sequuti, excindamus pestiferum genus, a quo malum generi humano teterimum ingruit, nempe famae. Quid vero si dicam impendere ex hisce interdum pestilentias? Nam ubi nimium excreverint, praesertim in montanis illi, qui papilioes dumeta, piros, quercus et alias huiusmodi arbores fronde spoliant, alio dum emigrant, abundantque nubibus aerem miriade miriadum sexcenties multiplicata, deficiente cibo moriuntur, inficiuntque cadaveribus rivos et campos, et odore mortiferis omnia fere contaminant; quod quidem historiae referunt, et cuius rei nos aliquando testes fuimus; nam post horum pluviam (sit fas dicere pluviam papilionum) iumenta, et pecora, quibus vesicis herbis necesse erat, semine luis immisso in viscera perierunt. Verum, quia

Omne talit punctum, qui miscuit utile dulci,
non exiguum delectamentum sapientibus est ex consideratione papilionum, in quibus vestiendis, ornandis operis et colorum suorum divitias natura effudit. Quae enim ardore vides pyropis, smaragdis, amethysto, ceterisque gemmis horum in aliis atque corporibus, lanugo quaedam est non velleri, sed floribus quasi in prato germinantibus simillima, tenuissima virgultis erumpens, ac talis, ut vel digitorum attactu levissimo auferatur. Quod si considerare volueris, ecce modum considerandi, immo intuendi trado.

Sic inquiens e succipero instrumentum eruit, quod « microscopium », seu « microscillum » appellant, et a filio Niio capsula ablata, aperiebat operculum, sub quo venationum, quas superiori fecerant die, fructus recondebantur. Sericum suberat stratum purpureum ligneis axulis distentum, cui aciculis infixa papilionum corpora apertis alis, ac filo retentis commissa erant. Iamque avidius ego accedebam contemplatus, cum messorum agmen irrupit in campum iucunde rustica sua cantione decantans, cerealia dona spicarum obruncraturum et collecturum. Tum Rostagnus meus omnia non sine festina-

tione recolligens et recondens: — Non his — inquit — nunc tempus eget, pretiosissimum tempus, quod si frustaneum fluxerit, diem nos perdidisse dicemus, et in crastinum transferendum erit opus; ac tamen quis de sereno crastino faciet nos certos?

... Semper nocuit differre paratis,

ait poeta, et hunc sequamur.

Assurgimus igitur una, sequimurque virum, cui papilioes, nondum alacres promptosque intepente luce, intercipere pulcrum atque utile erat. Ego vero considerabam rusticam turmam invadentem spicas, et in adolescentul Niio, olim discipulo carissimo, recordationem rerum, quae docueram, excitare cupiens, spicam praebens: — Dic nobis dum pergitus — inquit — quae de messe quondam austi.

Tunc ille: — Atqui recordor optime, nec a memoria mea excidit recordatio disciplinarum tuarum. Tu judica. In « segetibus » « frumentum » dicitur, quod « culmus » extulit. « Culmus » autem est « palea », quae virgili more spicam sustentat, et hoc olim usi sunt homines in contignatione casarum ac domorum suarum; unde illud Virgilii:

Romuleoque recente horrebat regia culmo.

« Frumentum » vero « granis » constat, atque ideo « frugi », quos inter Piso ille insignis cui cognomen abs victu, illi dicebant qui parco vivebant, quasi, obsoniis amandatis, pane solo nutritur contenti. Tanti maiores nostri Romae erant!... « Frugum » nomina postea sibi vindicabant illa, quae ex frumento fiebant, sive « placentae », sive « offellae », sive « crustulae », sive ipsi panes tum « subcinericci », et « azymi », tum « fermento » confecti; hinc *salsae fruges*, hinc *fruges mellitae*, et huiusmodi prout ea, quae « farinae » addebanduntur. *Fruges* denique nomine suo omnia, quae sunt Cereris, induerunt et induxerunt a « grano » ad « fabas », ab « hordeo » ad « lentim ». « Spica » vero ea, quae « mutica » non est in « hordeo » et in « tritico »... Vide, sis; « triticum » dicebant « granum » quia terebatur in area primum ubi « vallis » et « ventilabris » et « vannis » purgabatur a « gluma », a « zizania », a « lolio », ab « avena »; deinde atterebatur, sive « mortario », sive « mola » servilli vel asinaria, ut inde « farina » separaretur a « simila », « crinali in tela » concussa. Ad spicam redeo. « Spica », quae « mutica » non est — dicitur autem « mutica » quae non habet « aristas » — tria continent in hordeo et in tritico, nempe « granum », « glumam », « aristam ». Spica apud vulgus et priscos dicebatur *specia*, quasi quod spem contineret; sunt hodie rusticci in Aprutinis Italiae praesertim, quos adhuc *specia*, non spica dicere iuvat. Involucrum, a quo egreditur dum spica assurgit altius ab herba, « vaginam » dicebant, ob similitudinem quandam cum involucro gladiorum, seu quia vacua esset et impleretur. Granum vero suo nomine quid sit fert; esto autem et solidum et validum; « gluma » vero « folliculus » eius, quo subtilioribus fasciis continetur, atque ita dicitur, quia eo folliculo « deglubitur » granum; « aristam » vero, quae, ut acus tenuis et serrata, dentibus scabra minusculis summum grani apicem, quasi lancea, coronat, ita dicitur quia prima arescat et flavum induat. Tria insuper in ipso grano atque in singulis esse spicis videmus. Nempe « urruncum », quod est minus quam granum in infima spica ad culmum; « granum » quod pingue et bonum in media spica; denique quod exile in summo, non satur, farinae penitus expers ac tantum infelicissimae similae compos, dicitur « frit ».

Hic eramus dum exclamans amicus advolat in pavilionem ingentem et spectandum coloribus, morantem lentumque coram oriente sole super fronde dumeti. Filius de messe verba imperfecta reliquit.

H. DE VECCHI PIERALICE.

*Os mutum facti caret indice, grande doloris
Ingenium est, miserisque venit solertia rebus.*

(OVID. Metam. 6).

ANNALES

Dum hic numerus sub proelo est, horribilis nuntius affertur: **Humbertus e Sabauidia domo, Italiae rex**, Modoetiae, a vilissimo homine leto est datus!

Cum omnibus infandum crimen exsecratis *Vox Urbis* coniugitur ex animo.

Sinenses exercitus in Corea atque in Siberia - Tien-tsin urbs capta - Legatorum ad Sinenses incerta fata - Europae auxilia in Sinas proficiens - Transvaalianae advelitationes - Berberorum seditio.

SINENSIS belli vices omnia prorsus horum dierum diaria complent: nihil enim aliud spectant, nil acris investigant Europae et Americae populi, satis consci quae et quanta futuri temporis fata inter praefilia et obsidiones ultimo illo in Orientis litora agitantur. Igitur Sinarum exercitus quadruplici agmine potissime disperitos esse dicunt variis itineribus coantes, ut quaecumque Occidentis vestigia ex suis regionibus penitus abradant. Copiae quamplurimae Coream penisulam, recens e Caelestium imperatorum servitute vindicatam, minitantur, quod tradidit primus Americanus legatus ad Seoul, urbem provinciae illius caput. Longe autem maior militum multitudo Pechinum urbem ipsam vel obsidione iam circumdedit, vel illuc magnis itineribus properat; hanc tradunt equidem centum usque hominum millibus constare optimis instructam bellicis tormentis et manuballistis. Quinimmo eius inter agmina dictitant Mahumetanos ex Tibet regionibus stipendia facere, qui totius Sinensis exercitus robur esse videntur. Tertius exercitus Manciuriae nordicae provinciae fines perrupit violavitque, seseque per Russorum loca undique effudit: Kouldja regionem pervasit, iamque *Nigra Vexilla*, prout milites inibi nuncupant, ingenti numero Boque contra oppidum a Russis munitum proficiscuntur: alii Mukden tenuerunt, alii validissimo instruxerunt praesidio, ut supervenientes Russos ab itinere cohiberent; alii Blagowestcensk, Siberiae ultimam ad meridiem urbem, inopinato aggressi, ferro et igni vastarunt atque paene ruinis compleverunt. Atqui cum Russorum Sinensiumque fines ad octo millia chm. late extendantur, exercitum satis magnum congerere ad eos Russi adhuc non potuerunt, qui tot invadentium multitudinem valide prohiberet. Qua de re, violatis vix finibus, belli condicio Russos inter et Sinenses intercessisse videtur, sed Russis per deserta et impervia Siberiae loca suas legiones deducere longissimum est, ita ut pateat adhuc pueruellibus scelerum atque ruinarum arbitrium, et ab extremis Siberiae civitatibus virorum et foeminarum et puerorum manipuli quotidie proficiscantur, sua secum suppellestria et bona trahentes, vel ad munita oppida, vel apud exercitum sese recepturi, tutiusque refugium adinventuri. Reliquis erat exercitus qui appellentibus Europae et Iaponiae militibus, post Ta-ku portum incensum atque captum, circa Tien-tsin obviam profectus est. Et sane Europaeorum militum fata, qui vix decem aut quindecim millium numero a quadruplici hostium multitudine premebantur, multos per dies incerta pendere audivimus. Sed advenientibus paulatim ex Ta-ku portu Iaponiae praecipue auxiliis, conversa tandem fortuna est. Itaque acerrima praelia, inter miserrima aedificia tormentis bellicis diruta atque exusta, flagrarunt, cum tandem, Iaponen-

sium legionum virtute, oppidi Sinici, quod perduelles compleverant, porta disiecta est, viaque libera ulti-ribus data, qui, paucis post tempore, urbe integra potiti sunt, atque hostes magna clade fractos in fugam versos viderunt.

★

Erat autem interea apud nos assidua nunciorum vices e Shanghai, e Canton, e Ta-ku portibus de legatorum fortuna, quos, intra Pechini moenia obsidione a perduellibus praecinctos, modo dictitabant fuisse superatos, atque crudelissimis cruciatibus barbaro more peremptos, modo contra ad incitas redactos, strenua virtute oppugnantes adhuc repellere, modo imperatori aut imperiali foeminae captivos factos atque in palatio conclusos, modo in perduellum manus datos atque obsidum iure retentos. Alia fuerunt quae Conger, Americanus ad Pechinum legatus, ad suos, abdita sua scholae lingua, qua supremi administri secum colloquentes utuntur, redigit, tradens obsessas in dies magis atque oppugnatias Anglici legati aedes, ultimum Europaeorum refugium; atque auxilia expetens quam citissime immittit. Res, vera an falsa tradita fuerint, ad duces militum prope Tien-tsin est nunciata, qui tamen minime videntur tam exiguis adhuc copiis iter diuturnum, maximo hostium exercitu praepediente, Pechinum versus posse suscipere, sine maximo clavis extremae periculo.

★

Quapropter desiderantur atque exspectantur Europae navigia quae iam Austri, Galli, Germani, Itali plura miserunt militibus et tormentis bellicis onusta, quae quidem Iberi quoque, etsi paucis numero, parare tandem aggrediuntur, ut sui legati necem forte patratam, una cum ceteris, ulciscantur. Milites magno undique civitatum plausu comitante e nostris litoribus vela solverunt, Germanarum nonnullae cohortes, ut breviori via uterentur, per Helvetiam transiunt Iauam petierunt, ibique naues consenserunt. Haec tamen vana penitus sese reddere velle Li-hung-chang, Quan-tong urbis praefectus, sponte, qui profecto tot inter Sinensium imperii magistratus Ulixes veluti alter sagacissimus habetur. Itaque Li-hung-chang, Quan-tong urbe repente derelicta, recta via Pechinum petit, iamque Shan-gai portum appulit: attamen dum ipse iter facit, eius subdit Quan-tong tormentis bellicis undique munient, quae cum pacis consiliis quam optime consentiant, nemo est qui non videat!

★

Sed de Sinensibus satis: nonnulli, licet satis ieiuni, innotescunt ex ultima Africa eventus: Clement et Bourget, Anglorum duces, Betlehem urbe maxima virtute fuisse potitos, quam Boeri fugientes dereliquerunt; Anglorum legatum ad Beira, Lusitanorum coloniam, ignota sicarii manu fuisse peremptum. Vicissim autem ad Senekal's Neck eadem die Boeri Anglos fuderunt, atque bis centum captivos abduxerunt: sed Roberts dux docuit eosdem, ad Polecarest locum Anglos aggressos, sua vice pariter fuisse superatos non sine multa suorum clade. Qui iterum contra Boeri, ipso Roberts duce testante, Betlehem inter et Ficksburg oppida, Anglorum castra, quae Rundle et Hunter duces constituerant, disiecerunt, ut libera hinc et inde sibi pateret via.

★

In Berberiae tandem litoribus seditionem contra se a Rabat, Arabum quodam principe, excitatam

Galli ad Kusli flumen fregerunt, fusis Arabum copiis, ipsoque principe interempto, eiusque filio graviter vulnerato; quorum in locum Omar-Ben-Ibrahim, ex Bornu princeps, suffectus est.

POPPLICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS

In Anglia Brodrick rerum ad exterios administer de Igli oasi a Gallis occupata rogatus Anglorum Gallorumque de Mauritaniae rebus nullam intercessisse pactionem te-status est, quare Angli de Igli occupato nullam querelam protulerunt cum Galli saepissime iam iteraverint, se Mauritanii imperii regiones non aggressuros.

In Rumania Carp, novus administrator praeses, collegium sibi sociorum adscivit, cui ipse praerit et aerarium interdum moderabitur. Ceteri adlecti sunt: Olanesco domesticis negotiis gerundis, Maryloman exteris rebus, Maioresco iustitiae administranda, Filipesco commerciis, Costantino religionibus, Lahovaris bellicis rebus, et Gradisteano aediliciae potestatis imperio universo.

In Serbia Belogradi administristi suo se munere abdicantes regi mandatum remiserunt, qui eorum abdicationem ratam habuit et novos elegit, Alexa Jovanovic praefecto.

SCRIBA.

AENIGMATA

I.

Frigore correptus *prior* ut flos floribus haeret,
Et sole adverso plus adamante micat.
Ultimus in doctrina *alter*, qui primus in arte.
Toto laetentur hortus et ora tibi.

II.

Destruit, et crebro *primus* contraria signat,
Uteris atque ipso cum sistis, cumque moveris.
Altera vox resonans est, et (mirabile dictu)
In mundo tenebras abigit, tenebrisque fugatur.
Tertius... EST! De quo non ultra dicere praestat.
His iunctis prodit, qui, insueta sorte beatus,
Insolito fastu tumet et exasperat omnes.

DIGAMMA.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus cui titulus:

DE POETIS ET NUMERIS LATINIS

Scripsit PETRUS ANGELINI.

Aenigmata ann. III, n. XI proposita his respondent:

1) Ar-ar - Ara - Rara. 2) Scapha - Pascha.

E rite soluta miserunt:

Ed. Bianco: Columb, Brunner, Roma - Guil, Schenz, *Ratisbona* - Car, Stegmüller, *Sabaria* - Herm, Gini, *Taurinis aquis* - Ios, Wilhelm, *Centauria* - St, Figielki, *Rypino* - Alph, De Jaer, *Pousset* - Fr. Sallarés, *Sabadelo* - G. Langenberg; Ios, Schmitz, *Monasterio Guestph*, - Ver, Cariolato, *Vicentia* - lul, Sernatiniger, *Dresda* - Aug, Sordet, *Thury en Valois* - P. Garrone, *Pezzana ad Vercellas* - Hect, Landi, *Turrita* - V. Hertel, *Mendhausen* - Ios, Crosatti, *Potano Vallisstantiae in agro Veronensi* - Seminarium Campaniense, *ad Salernum* - Th, Vinas Sch, Piar, *Tarrega* - A. Chevénement, Nods - E. Frachetti, *Mengalore*, in *Indis* - Ios, Castelli, *Gandino*; Alois, Ranieri, *Schilpario*, *ad Bergomum*.

Sortitus est praemium:

THOMAS VINAS,

ad quem missum est opus, cui titulus:

OCTAVIUS

MINUCHI FELICIS DIALOGUS

Edidit S. BAEREN Lipsiae ex off. Teubneriana.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.

is Arabum copiis,
que filio graviter
-Ben-Ibrahim, ex

POPULICOLA.

COETUS

administer de Igli
orum Gallorumque
isse pactionem te
nullam querelam
eraverint, se Mau
os.

orum praeses, col
e praeerit et aera
lecti sunt: Ola
Maryloman exteris
ne, Filipesco com
paris bellicis rebus,
erio universo.
o se munere abdi
orum abdicationem
vanovic praefecto.

SCRIBA.

oribus haeret,
e micat.
inus in arte.
bi.
ria signat,
que moveris.
obile dictu)
que fugatur.
cere praestat.
te beatus,
omnes.

DIGAMMA.

atis interpreta
orem miserint
ratis accipiet

LATINIS

his respondent:
ha - Pascha.

Guil. Schenz, Ra
ni, Taurini aquis -
o - Alph. De Jaer,
berg; Ios. Schmitz,
ia - Iul. Sernatin
- P. Garonne, Pez
V. Hertel, Mend
agro Veronensi -
Vinas Sch. Piar,
chetti, Mengalore,
eri, Schilpario, ad

us
bneriana.

iurisperitus.

Socii.

PER ORBEM

FRANCISCUM Iosephum, Austrorum Caesarem et Hungarorum regem, quem vix ex imperialis heredis nuptiis discedentem vidimus, iterum inter nuptialia versantem, post breve temporis intervalum, Gmunden in civitate conspicimus. Maximilianus enim e ducali domo Badenia, Mariae Aloisiae ex gente Cumberland, regia Anglorum stirpe, sacro iure iurando fidem dedit. Hannoverii regni regina, Danorum rex, Magnus Dux Magnaque Ducissa ex Baden, Dux atque Ducissa e gente Cumberland, ipseque Victoriae reginae Vindobonensis legatus Horatius Rumbold, qui regalem personam ad rem gerebat, una cum Caesare nuptiis adstitere.

¶

Quas laetas ferias haud modicum reputo contristatas fuisse nuncis miserrimis ex utroque regno advenientibus. Tsy Tolfa, ad Budam, Hungarorum urbem caput, oppidum, incendio vehementi corruptum bis centum domos, ecclesias, officinas adustas vidit, puerosque binos flammis necatos: ex inferioribus autem regni oppidis aestus horribiles infortunia patravit; Celsius enim thermometron ad quadraginta sex gradus cum extulisset lympham, ictus solis frequentissimi cives necarunt, grando horridaeque procellae sata pessum dedere. Neque satis; nam, ferreorum curruum itinera pluribus in locis intercipi oportuit, cum eorum nonnullis furentे vento tectum abruptum fuerit, machinarii in solum deiecti et vulnerati, ac telegraphici mali, ferrei tramites, erumpentes undique Gradua, Proprad, et Rime fluminis undis, divulsi omnino atque humi strati sint. Convenerant hac de causa, ut aquarum impetum spectarent, cives multi in ponte ad Nystya constituto, cum repente fluctus rabies pilas fregit, pontem secum revolvit, spectantium decuriam demersit. Sed aestui tanto, tantisque pluvii, nix denique media sub canicula albicans fastigium posuit, cuius candida facie Fuzine montes et valles paene undique coopta sunt, maturantes iam fruges exstinctae, oppida plurima ad inopiam usque redacta.

Gyengyo in civitate equestris quaedam istriorum turma su's iocis ludisque in arena intendebat; ecce autem, concurrente undique procella, velarium maximo cum strepitu divulsum, faces extinctae, metus immannis undique in populum coniectus. Tunc certatim multitudo fugam petere, alius alium urgere, compellere, calcare inter clamores atque rumores altissimos. Quo tandem tumultu sedato, cum arena vacua mansisset, octo puerorum cadavera fugientium pedibus misere conculcata exterritis prostabant oculis, ut iterum evincerent quid inhumanum ac brutum adhuc timor vitae amittenda in homine possit.

¶

Eventus simile in mente revocat, quem aliquot ante diebus Iacobus Tassetius, commentarii nostri socius, e Gallia mihi litteris enarravit, cui quidem humanissimo viro liceat gratias ex corde reddere amplissimas, et quia nostri memor fuerit et tanti itineris laboribus, gravi sudore quindam dierum vice perficiendis, humanissime subvenerit. Quod, o utinam, multi lectorum imitarentur! Scripsit quidem meque relatum iure confidit, de re quae in tauromachia Delii (Denel), haud procul a Parisiis, habita fuit; ego, suis ipsius verbis, brevi heic referam:

« Ivanus Agelius, Suecia origine adolescens, comitatus matrona gallica, in tauromachos, rheda convectos, minima pugniballista bis ignem edidit,

mactatorisque assidentis fasciarii cubitum glande leviter vulneravit. Hinc statim comprehensus a vigilibus, duobusque denuntiatoribus interrogatus: — Tauromachos — inquit — petvi glandibus, quia Iuditauria spectatu foedissima sunt et mihi sordent. — Matrona quoque, post interrogacionem, in custodia retenta ».

En itaque quomodo crudelem ludum oppugnanti favere melius possum, qui facile cum Tassetio nostro consentio, humanissimam foeminam eiusque comitem, miseratione in bestias motos, specie magis quam re facinus tentasse, ut populi animos commoverent.

¶

Verum, cum animum sceleris, etsi simulatione optimaque mente tentandi, in excultis hominum mentibus irrepssisse vidimus, de Martinez Campos, notissimo Iberorum militum praefecto, non amplius demirati sumus, quod in furti speciem incederit. Rem non illepidam belgicum quoddam diarium tradidit.

Media nox dum caelo imminent, Martinez Campos ex amicorum conventu redux, penula omnino involutus domum properabat, cum repente iuxta viae angulum iter flectens, in quemdam obviam venientem violento occursu incidit, qui tamen brevi excusatione murmurata, recessit, viamque suam prosequutus est. Interea Martinez manus ad horologii succiperium admovens, aureum sibi ditissimumque horarum speculum deesse sensit, statimque ab occidente abruptum suspicatus est. Tunc remeans post eius gressus cucurrit, appropinquavit, tenuit, manusque in eius collum maxima vi coniiciens, terribili voce imperat: — Profer ultro horologium, alias te sufficiem. — Ignotus ille, pallidus, contremiscens, aureum horologium extraheens dedit, seque in praecipitem fugam vertit.

Praefectus domum petit, vixque cubiculum ingressus, obstupescit: prostabat in tabula aureum horologium, cuius ante discessum ipse oblitus fuerat: reapse aliud, quod abripuerat, insculptas litteras praeferebat, ignoti nominis initiales, unde non in latronem incidisse militum illum illum praefectum patebat, at ipsum contra latronem factum; innocentem autem civem, ne suffocaretur, horologium praebuisse.

Duci itaque nil reliquum fuit quam ut summo mane rem vigilibus enarraret, qui incognitum hominem inquirent, aureum monile redderent, militumque praefecti excusationes ultro afferent.

VIATOR.

VARIA

Quid si celeriora hodiernis
electride itinera?

Quaestioni huic ita respondet ephemeris, cui
nomen English Mechanick.

Esto quod sit homini abeundi modum per
aera reperire, quo nongenta chilometra quavis
hora praetereat. Cursum, iterque solis aequaret
in occidentem gradiens, ideoque semper matutino,
si matutinus excessisset, caelo frueretur.
Quid si noctu excessisset? Sempiternis versaretur
in tenebris. At quid tristius si in orientem
abiret! Suos quippe dies, suas quippe noctes
dimidio contraheret.

Quod si duplice velocitate uteretur, nempe
si mille atque octingenta chilometra singulis
horis volatu aequaret, ipse omnem totumque
ordinem caeli, astrorum siderumque cursum
circa se videret penitus immutatum; haec enim
non ad occidentem, sed ad orientem vergere,
festinare mirans conspiceret, atque in ipso sus
picio assurget, fortassis et spes, qua in caput
annorum posset relabi suorum.

Sed et sequentur incommoda; cum enim
sonus tantummodo singulis quibusque horis du
centa super mille chilometra gradiatur, vox eius
viantem relinquat, vanaque verba prolata lo
quentem non sequerentur.

Haec ephemeris praevidet, atque ista praenuntiat;
reliquam est ut hic abeundi modus in usus
deveniat, ut praevisa experimento firmentur!...

*
Ioci.

Hortensia domus muribus paene vastabatur,
neque cibus, neque vestis, neque supplex, quam
vis recondenter industria, integras ab eorum
dentibus tueri fas erat. Heri famulique, audiente
Arsicio puerulo, omnia rodi ab invisis, hospitibus
quotidie lamentabantur. Hinc selem, Salterellam
nomine, quae sive a vicina, in omne murum
genus, ipso atrocis Attilia, saevientem, quae
tam bene suis ungulis usa est, ut brevi rodore
omnes exterminaverit. Ursacius familiaris et con
viva saepe, de more sub vespere intrabat, cum
Arsicus: — Recede, recede; donec Salterellam
hinc auferam et includam... — Ut quid hoc? —
petivit Ursacius. Mox puerulus: — Haec in ro
ditores mortifera; pater autem hodie in prandio
dixit te absentes rodere amicos. Ergo, ne te Salte
rella discerpas... — Haec inter selem eripuit et abiit.

P. d. V.

SOCII MONITUM

NONNUNQUAM ad nos socii scripserunt dolentes hunc vel illum commen
tarii numerum suo tempore sibi non remissum; quin etiam interdum
binos vel ternos quoque simul allatos.

Volumus itaque socios omnes certiores, diligentissime munus nos apud
diribitorum exsequi, et a culpa longissime abesse. Profecto qui subno
tationem non recte tramite, sed per bibliopolas fecerunt, neque iisdem
iniunixerunt, ut nomen eorum patefacerent, ipsi serius commentarij acci
pient; cum bibliopolae committenti commentarium inscribere teneamus...

Ceterum quivis *Vocis Urbis* numerus fortuito amissus rursus a nobis
petatur, qui rationem habebimus: subnotatio autem et alia omnia semper
mittantur ad **Aristidem Leonori equitem**, commentarii *Vox Urbis* pos
sessorem et administratorem; **Romam, via Alessandrina, 87.**

A SECRETIS.

Desclée, Lefebvre & Soc.

ROMAE - Via S. Chiara, 20-21 - ROMAE

HENRYK SIENKIEWICZ

ANDIAMO A LUI

NOVELLA STORICA DEL TEMPO DI CRISTO

In Italicum sermonem recens convertit
Henricus Salvadori Litterarum Doctor

Perpolitum volumen in-8, ven. Libell. 0.50

Nuperrime prodierunt

CONSTITUTIONES LEONIS XIII

SUPER

IUBILAEO UNIVERSALI ANNI MDCCCC

COLLECTA EDIDIT, QUIBUSDAM ADNOTATIONIBUS ADDITIS
IN COMMODUM PRAESERTIM CONFESSARIORUM

THOMAS ARIZZOLI

Missionarius Apostolicus Imperiali, S. Poenitentiariae officialis.

Ven. lib. 1

apud commentarii VOX URBIS Administratorem.

Pro sociis comm. Vox Urbis Lib. 0.50

FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE

COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO

Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 X 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur,
venit singillatim L. 2.50

apud comm. VOX URBIS Administratorem.

SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

PHILIPPUS VITI EQUES

MARMORARIUS

ROMAE — Via Alessandrina, N. 51 e 52 — ROMAE

AFFABRE SCULPIT QUAE SUNT
AD SIMULACRA, ALTARIA, SACELLA
AEDICULAS
uti patet ex operibus erectis ac refectis
in Basilica Lateranensi,
Liberiana, Laurentiana extra muros, Transtiberina,
Eudoxiana, etc.

T. G. Fratrum PARISI CANDEALARUM AD SACRA OPIFICIUM

PRAEMIIS INSIGNE

AB ANNO 1829 CONSTITUTUM

Romae in Italia, in Foro Campi Martii, 6

Singulis in artium
recognitionibus publice
habitis maxima re-
lata munera.

LEO PP. XIII
honores addidit

Lateranensi Archi-
basilicae, itemque Va-
ticanae, quoties de Bea-
tificatione aut de Cano-
nizatione solemne sit,
suppediat.



Praecipua Tempa
cereis instruit ubique
terrarum. In Asiam,
Africam et urbem Con-
stantinopolim mittit
ingentia rerum huius-
modi pondera, pretio
francs 190 pro singulis
100 Chilogramm.

Si vero ab America
aut ab Australia petantur
onera (300 Chilo-
gramm. ad minimum),
pretium erit francs 225
pro 100 Chilogramm.

Nullo impendio iubentum
res in proximiorem a potentibus designatum portum defertur

Gratuito pariter, quae mittuntur, arca asservantur

Civis quaerenti explicatio erit uberior.

LE LAUDI LATINE

IL CANTICO DEL SOLE

DI SAN FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro
rei longe peritissimo, conscriptum, continentur *laudes latinae* cum interpre-
tatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita,
quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem
proxime alli subsequetur ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* compa-
randam, *Iulius Salvadori*, litteris tradendis doctor egregius, maxima
editit cura. Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administrationem venit
L. 0.50, in pauperum levamen.

Ciapponi Franciscus et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

TEMPERANTIA IN PRETIO - DILIGENTIA IN OPERE

ROMAE - Via Sistina, 129 - ROMAE